









Die
Deutschen Universitäten im Mittelalter

von

Friedrich Zarncke.

I.



Die

Deutschen Universitäten

im Mittelalter.

Beiträge

zur Geschichte und Charakteristik derselben


mitgetheilt von

Friedrich Zarncke.

Erster Beitrag.

Leipzig,
T. O. Weigel.
1857.

Inhalt.



Vorwort.

Die Litteratur der Deutschen Universitäten ist gerade für die Zeit des Mittelalters bereits eine sehr umfängliche, und der überwiegenden Zahl der Werke nach ist sie mit Sorgfalt und Gelehrsamkeit gearbeitet. Dennoch darf man behaupten, daß, auch abgesehen von den noch mangelnden Geschichten einzelner Universitäten, eine sehr wesentliche Lücke unserer Kenntniß noch immer unausgefüllt ist. Unsere Universitätsgeschichte ist fast ohne Ausnahme — und mit Recht — Special- und Localgeschichte, die örtlichen Schicksale sind ihr die Hauptsache, die Charakteristik der Zustände und die Motivierung der allgemeineren Grundlage derselben tritt dagegen zurück. Und wir dürfen nicht sagen, daß die Verfasser der Specialgeschichten diese als bekannt voraussetzten und mit Fug und Recht voraussetzen durften, vielmehr müssen wir bekennen, daß ein umfassendes und völlig adäquates Bild der mittelalterlichen Universitätsverhältnisse — wie sie ziemlich gleichmäßig überall bestanden, nur hie und da modificirt — von der Forschung noch nicht wieder hervorgerufen, mindestens nirgends in lebendiger Anschaulichkeit reproduciert ist. Unsere Kenntniß beschränkt sich auf das Allgemeinste, und selbst darin noch hat sich manche Unklarheit, manches Mißverständniß, manche fable convenue festgesetzt.

Seit einer Reihe von Jahren bin ich bestrebt gewesen, eine genauere Einsicht in das Leben und Treiben der mittelalterlichen Bildungsanstalten und namentlich der Universitäten zu gewinnen,

denn über die Litteratur eines Zeitraums vermag, wie mir scheint, zu einem befriedigenden Abschlusse seines Urtheils nur der zu gelangen, der über die Bildungsmittel jener Zeit sich vollständig orientiert hat. So ist es mir seit lange ein Lieblingswunsch geworden, einmal eine zusammenfassende Charakteristik des Deutschen Universitätslebens im Mittelalter zu versuchen. Je mehr aber dieser Wunsch sich bei mir zu einem bestimmten Plane ausbildete, um so mehr fühlte ich, daß vorher noch zweierlei Noth thue. Einmal, daß noch aus den Archiven der Universitäten unsere Kenntniß der localen Specialitäten weit mehr als bisher müsse bereichert werden; denn erst in Folge einer genauen Vergleichung auch der kleineren Abweichungen erschließt sich uns die innewohnende und gestaltende Idee einer Sitte wie einer Institution. Sodann, daß noch eine Anzahl Quellen allgemeineren Charakters weiteren Kreisen zugänglich gemacht werden müßten, deren Kenntniß der Geschichtschreiber voraussetzen, auf die er sich mit kurzer Hindeutung berufen dürfe, da es auch der umsichtigsten und lebhaftesten Schilderung nicht würde gelingen können, die eigene Kenntniß derselben überflüssig zu machen.

Zur Befriedigung jener ersteren Forderung glaube ich bereits nach Kräften beigetragen zu haben, indem ich eine Zusammenstellung der urkundlichen Quellen zur Geschichte der Universität Leipzig in den ersten 150 Jahren ihres Bestehens lieferte (im dritten Bande der Abhandlungen der Königl. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften), und um dem letzteren Bedürfnisse entgegenzukommen, beabsichtige ich jetzt, eine Reihe von Beiträgen zur Geschichte und Charakteristik der Deutschen Universitäten im Mittelalter herauszugeben, deren erster hier vorliegt. Findet das Unternehmen Anklang, so glaube ich hinlänglich gerüstet zu sein, um in baldiger Aufeinanderfolge eine Anzahl Bändchen erscheinen zu lassen, die, wie ich hoffe, wesentlich dazu beitragen sollen, uns die Studienweise, die Verfassung, das gesellige Leben der mittelalterlichen Universitäten in lebendige Gegenwart zu rücken. Wenn ich hiebei das locale Interesse durchaus verleugne, so soll das doch nicht so zu verstehen sein, als ob die mitgetheilten Quellen keine localen sein und nicht locale Specialitäten enthalten dürften. Nur beanspruchen

sie unser Interesse allein als Belege — Unterarten, Abweichungen — einer allgemeineren Sitte, und letztere bleibt der endgültige Gegenstand unserer Aufmerksamkeit.

Ueber die in dem vorliegenden ersten Beitrage mitgetheilten Stücke habe ich nur wenige Worte hinzuzufügen.

Das Manuale Scholarium ist hauptsächlich verfaßt, um dem die Universität Beziehenden, der fortan zum Lateinreden verpflichtet war, für alle ihn erwartenden Verhältnisse eine Anleitung zu gewähren, wie er sich angemessen auszudrücken und zu benehmen habe. Die Menge der Drucke, die auf uns gekommen sind, liefert den Beweis, daß das Buch seinem Zwecke entsprach. So hat es für uns gleicherweise Interesse durch das, was es enthält, wie durch das, was es nicht enthält — denn wir dürfen daraus, bei einigermaßen bedeutenden Fragen, auf das Nichtvorhandensein desselben mit ziemlicher Sicherheit schließen —, gleicherweise durch das, was uns in ihm anspricht, wie durch das, was uns mißfällt oder langweilt. Ja selbst der Ekel, den Gespräche, wie die S. 35 fg. geführten, erregen, wird aufgewogen durch den Einblick, den sie uns in die Sitten und das Zartgefühl jener Zeit gewähren. Die Art und Weise, wie die Dichter, namentlich die Satiriker des 15. und 16. Jahrh., ich erinnere zumal an Thomas Murner, von dem weiblichen Geschlechte reden, die Ungenirtheit und Nacktheit, mit der in den von mir in der zweiten Abtheilung mitgetheilten Scherzreden öffentlich vor einer hochgebildeten Versammlung über Dinge des breiteren gesprochen wird, deren bloße Andeutung uns gegenwärtig verletzt: das Alles empfängt eine hellere Beleuchtung, wenn wir hier kennen lernen, welcher Art die Reden waren, in denen der gebildete junge Mann jener Zeit sich zu ergehen nicht erröthete. Auch der Studentenklatsch — so wird man es wohl nennen müssen — über den Werth und das Verhältniß der Realisten und Nominalisten ist von Interesse, nicht zwar für die Geschichte der Philosophie, wohl aber der Gelehrsamkeit. Die Schilderung der Fuchstaufe ist, so viel ich weiß, das älteste Beispiel einer solchen.

Das Manuale ist seit länger als vierthalbhundert Jahren nicht weiter beachtet worden. Anders steht es mit den darauf folgenden Quaestiones fabulosae. Ein Theil wenigstens von

ihnen ist nie ganz in Vergessenheit gerathen, ist öfter wieder aufgelegt worden und noch gegenwärtig, wenn auch mehr dem Titel als dem Inhalte nach, bekannt. Aber man hat es seit lange vergessen, daß es Reden waren, die ihrer Zeit öffentlich vorgetragen wurden, daß sie nur glücklich erhaltene Spuren einer früher weit verbreiteten, später ganz vergessenen Sitte sind, die das Universitätsleben jener Zeit, wie wenige andere Aeußerungen, zu charakterisiren geeignet ist. Diese Reden — vermehrt um mehrere völlig in Vergessenheit gekommene — erscheinen daher hier in einem anderen und richtigeren Zusammenhange als vordem; hat man sie doch bisher beinahe nur als pseudonyme Pamphlete betrachtet. Mancher wird den Wunsch hegen, ich möchte ihnen einen ausführlichen Realcommentar beigegeben haben, und es war auch lange mein Plan, dies zu thun. Aber für den, der mit der humoristischen Litteratur und den Sprichwörtern des 15. und 16. Jahrh. vertraut ist, wird das Meiste von selbst verständlich sein, dagegen für den, der dies nicht ist, hätte ein einigermaßen genügender Commentar mindestens den gleichen Raum beansprucht, wie die Reden selber, und durch diese Vermehrung des Umfanges würde das Erscheinen dieser Beiträge gefährdet worden sein.

Der Libellus formularis ist eine wesentliche Ergänzung zu dem Manuale. Ich zweifle, ob eine zweite Universität sich eines so umfassenden und so anschaulichen Zeugnisses über ihr Leben und Treiben in alter Zeit wird rühmen können.

Die im Anhange mitgetheilten Documente sind nicht eben bedeutend, aber doch von Interesse für das damalige Gerichtsverfahren in Universitätsangelegenheiten, so daß mir ein Abdruck an dieser Stelle gerechtfertigt schien. Leider fehlt es ganz an Nachrichten gleichzeitiger Schriftsteller über die in Rede stehende Angelegenheit.

Leipzig, den 17. März 1857.

F. Z.

MANUALE SCHOLARIUM

QUI

STUDENTIUM UNIVERSITATES

AGGREDI

AC POSTEA IN EIS PROFICERE INSTITUUNT.

PROLOGUS.

Etsi scientiarum inventio varia erat ac multiplex, maxime tamen quisque, cum philosophari coepit, dedit operam, ut vel de secretis naturae vel de morum bonitate vel de republica loqueretur, aut etiam de quibusdam praeceptis ad virtutum viam ducentibus. At cum multifariis scriptae sint ydeomatibus disciplinae, Graecorum lingua nonnullae editae atque etiam Arabum consuetudine compositae, apud Hebraeos quoque non nihil sit doctrinae inventum, maximopere censebant conducere maiores nostri, ut, quemadmodum plerique in hoc convenirent, quod laudes virtutum magnificentissime observarent, sic unus esset sermo, in quem omnes transferrentur ac postea dilatarentur per spacium universi. Itaque factum est et ydeoma hoc latinum nuncupatum (et, ut reor, a Latio, ubi Roma est, id nominis obtinuit), atque lapsu temporum in hunc sermonem omnes doctrinae sunt translatae. Hunc colunt artium amatores, diligunt iurisconsulti, observant qui theologiae student, omniumque auditores disciplinarum quasi munus quoddam divinum diligunt. Ipsum vero non solum posse aut natura complecti aut artificio comprehendi arbitror, sed assiduitate quadam et usu continuo percipere. Omnis igitur dicendi praecepta nancisci cupiens intentissima cura videat, frequentia latina loquatur.

CAPITULUM I

QUALITER NOVELLI STUDENTES ALLOQUI DEBENT MAGISTROS SUOS, UT IN MATRICULAM INTITULENTUR AC ETIAM A BEANIO DEPONENTUR.

DISCIPULUS. Reverende magister, reverentiam vestram oratam facio, adiumento mihi sit, ut in matriculam almae huius universitatis intituler et a beanio absolvi queam; nam proxime adveni, ignotus sum et ad quem confugerem praeter vos habeo neminem.

MAGISTER. Undenam es, puer? 5

DISC. Optime magister, sum Ulmensis et priusquam exirem patriam tum persuasum mihi erat confidentiam habere dominationi vestrae, vos enim ille estis (fama est), qui singulis acquiescitis petitionibus prae se honestatem ferentibus.

MAG. Cur huc advenisti, expone mihi. 10

DISC. Studii causa.

MAG. Solus advenisti?

DISC. Sic est, reverende magister.

MAG. Abundant parentes tui?

DISC. Mediocriter se habent in divitiis, acquirunt artificio 15 alimentum; verum polliciti sunt, si studio me applicuero, velle omnem circa me facere diligentiam, ne qua me premat paupertas.

MAG. Modo te ducam ad rectorem. Cura, animosus sis; non nimium timeas, ne timor ipse diripiat loquendi facultatem, et, ut apte iuramentum facias, bene prospicias; cave celeritatem le- 20 gendi, alioquin [A 2[b]] te titubare faciet.

DISC. Ut potero, optime praeceptor, utque vires meae admittent faciam, verum primum mihi difficile est non timere, propterea quod antehac apud huiusmodi et doctos et claros viros nec unquam eram. Obtemperabo tamen libens dignitati vestrae, quan- 25 tum ipsa admittet verecundia.

MAG. Te admonebo, habe ergo advertentiam.

Post intitulationem magister dicit studenti: Nunc inscriptus es in matriculam. Ubi depositionem beanii habere existimas?

Disc. Reverende magister, id vobis committo; novit enim dignitas vestra, quo convenientius in loco fieri posset, et, ut ante 5 precabar, sic quoque et nunc admodum oro, commendatum me vobis in hac re habeatis.

Mag. Placetne tibi in aestuario meo?

Disc. Placet quam optime et, ut reor, nullibi aptius posset fieri.

Mag. Vocabone plures magistros, qui intersint?

10 Disc. Optime praeceptor, divitiae parvae mihi sunt. Ne prorsus sumptuosa collatio fiat, apprime rogo, neque etiam volo, quod nimium extenuetur ac honestas offendatur in re, sed mediocritas retineatur cum consuetudine.

Mag. Probe intelligo. Vocabo igitur tres magistros et bacca-15 laureos duos et quosdam de sociis meis. Sic nemo te arguet parcitate et superflui sumptus evitentur.

Disc. Honorande magister, et id mihi vehementer placet.

Mag. Et aequo animo feras, si qui venient et te infestent verbisque te improperent; nam id antiquus adventus, si quando 20 beanii est depositio, induxit, ne iucunditas primum et alacritas sed amaritudo potius appareat. At ego prospiciam, ne quisquam modum ex[A 3[a]]cedat.

Disc. Non solum aequo feram animo, praestantissime praeceptor, sed etiam aequissimo. Vestrae tamen humanitati supplico, 25 quatenus manu me teneat, ne quis impetu quodam ac violentia me invadat.

Mag. Ne timeas. Te protectum habebo, coenaque finita propera ad meum aestuarium.

Disc. Faciam, perdulcis magister, ac libens.

CAPITULUM II

DE DUOBUS IUVENIBUS INFESTANTIBUS BEANUM ET VOCITANTUR CAMILLUS ET BARTOLDUS, SIMULANTES NESCIRE HIC ESSE BEANUM SED FOETOREM SENTIRE.

30 Camillus. Quis hic est foetor, qui locum illum inficit? Proh rem indignam! aut cadaver erat hic putrescens aut hircus omnibus

bestiis immundior. Optimi magistri virique praestantissimi, quomodo in hoc foetore sedere potestis? vix satis nares valeo obturare; exibo revera. Equidem, si diutius manerem, usque adeo inficerer, ut semivivus caderem capiteque terram pulsarem. Proficiscar. Sequere, Bartolde. 5

BARTOLDUS. Remorare tamen paululum et videbimus, quidnam huius foetoris initium sit.

CAM. Probe mones. Confer, obsecro, in huius omnes habitationis angulos oculos, an possis aliquid auspicari, ex quo velut ex velutabro foetor ille emanat? 10

BART. Et tu, cum acutae rationis sis, non minus perconteris.

CAM. Quidnam hic invenio? quid hoc monstri est, quaeso? cave, mi Bartolde, ne huc dirigas oculos: certe integris luminibus inconcussoque animo non conspicies; nam haec bestia cornigera est, au[A 3^b]res habens bovis instar, ex utroque mento se dentes 15 extendunt, quibus morsum ceu porcus silvestris minatur, nasus curvus ad noctuae rostri similitudinem, oculi rubei lippique furorem minantes. Vae huic, quem arripiat! censeo equidem, eundem in minutissimas partes distraheret, nam, ut summatim dicam, meministi te unquam vidisse horrendam daemonis figuram? animal 20 hoc multo deformius est. Curramus e vestigio fugaeque nos committamus, ne impetum in nos faciat.

BART. At ego videbo, etiamsi periculo subire deberem. Quid ais, mi Camille? profecto beanus est.

CAM. Arbitraris beanum esse? 25

BART. Nisi me fallat ratio mea, beanus est.

CAM. Nullam ego oculis conspectus sum bestiam, quae tam aperte crudelitatem prae se fert et immanitatem quemadmodum animal hoc indispositum.

BART. Quiesce parum, ipsum alloquar. Domine Ioannes, 30 quandonam advenistis? certe estis conterraneus meus, porrigite manum. Ach furcifer! venis tu me ungulis offendere? Non admittam, nisi armis undique munitus essem. Quid sedes, onager? non vides magistros adesse, viros venerabiles, in quorum adspectu erectum esse decet? O bone Deus, velut inflexibilis truncus stat, 35 neque veretur, tametsi omnium oculi in ipsum coniecti sunt.

Cernite omnes, quaeso, quam facile defatigatur! lentos habet pedes: paulo ante surrexit, nunc rursus se incurvat quasi vetula in senium deducta. Vide, qualiter collum contrahit!

CAM. Nullam in te pietatem habes. Quo pacto ipsum sic 5 terrefacis? Amplius non patiar, quia conterraneus meus est. Ioannes, sis bono animo! ego te defensum habebo, recipe vitrum et post molestiam hanc ad animum te confer. O [A 4ª] carnifex stolide, non vereris vitrum attingere? iam ciphum, quo eruditissimi iam biberunt magistri tui, rostrum tuum veneficum velis intingere, 10 quod magis venenosum est quam basilisci adspectus visu quoque necans? gestisne vinum, atque adeo dulce, degustare? Tua interest aquam potare, et quidem turbidam, ad rivos cum pecudibus; illic tu ceu quadrupes os impone tuum tortuosum, extingue rabiem et, ut caballus diurno cursu fatigatus, tumentibus labris tuis attrahe 15 aquam.

BART. Desine, satis est. Reris rem parvam esse, hominem tenerrime educatum quasi bos esset tractari? Quid, si mater sciret quae unice eum amat! O quam multas lacrimas perfunderet, quantum cor dolorosum conciperet! revera, si necis periculum 20 subiret, vix passionem ipse ferret maiorem. En, intuere faciem eius! Non flet? certe oculi madidi sunt. Quando audivit matrem commemorare, movebatur et dicebat ad socium, quem secum ex patria ducebat, ut re ipsa peracta nuncium revertendo parentibus afferret: „Ach, narras mihi hoc? quod te malum annum ante- 25 „venit! ego mitterem altam scolam dyabolum habere antequam „ego super vellem trahere: ipsae sunt tam superbus super alta „scola, quod nemo cum eis scit circumvenire, et loquunt tam mi- „rabilem latinum, quod ego nescio quid est.“ O beane, O asine, O foetide hirce, O olens capra, O bufo, O cifra, O figura nihili, 30 O tu omnino nihil! Quod tibi dyabolus permerdat et mingat tibi super tuum venter et pes! qualis tua haec responsio? haud enim loqueris, sed lallas; non latinum sed cavillinum ructas. Sed forte turbatus animo vehementerque commotus haec ipsa protulit. [A 4ᵇ]

CAM. Quid facturi demum cum eo sumus?

35 BART. Stolide quaeris. Multa re opus est; nam sentio, eo animo advolavit, ab ista possit deformitate absolvi ac demum lau-

dabili studentium adiungi consortio. Id enim primo conducere puto, medicum accersire. Ha, quid dixerim? Tu in medicinis praeclarus es et apprime eruditus, mi Camille. Nosti probe, qui bachantibus insaniamque habentibus cornua deponantur ac postea dentes illi eruantur. Aures vero, quemadmodum cultellis fieri con- 5 suetum est, abbreviantur, caliginem oculorum amovemus. Et cerne pilos illos de naso progredientes! fac in primis extrahas. Sed laboriosum erit tam longam tamque horrendam barbam tondere; cum vero tibi rallum sit acutissimum, lignis de quercinis factum, elaborate cum exornabis. Tum scelera sua confitetur. Postremo a 10 magistris venerabilibus a foetore illo deponetur copuleturque consortio nostro.

Cam. Recte suades. Sed profecto scias, tam fructuosum negocium fieri non posse sine meo magno labore ac periculo. Mi Ioannes, praestolare paululum, allaturus venio instrumenta et 15 ab hac quoque insania te liberabo. Bartolde, tu ipsum interea consolari non desine, nam iter arripio iam, citoque revertar.

Bart. Faciam, et quidem libenter. Ioannes, laetare habeasque iocundam horam. Iam tempus appropinquat salutiferum, mundaberis enim ab omni indispositione et corporis et mentis, 20 fiesque particeps universitatis nostrae cuiusvis privilegii, neque attaediabere quod medicus tuus non adest, certe statim veniet; arbitror ipsum profectum ad apothecam atque illic emere pillulas factas ex floribus melampi alboque graeco, ut, si debili[A 5ᵃ]tas nonnulla in curatione te invaderet, remedio tibi essent. — En, 25 praesto est noster Camillus. Obsecro, mi Camille, quam celeri pede festinas, et quam velociter vestigia retro observata legisti. Erasne in apotheca?

Cam. Sic est.

Bart. Quid es boni negociatus? 30

Cam. Comparavi unguentum, ut, si noster aegrotus medicinae vim ferre nequiret, nares eius os quoque inungerem.

Bart. Cuiusmodi hoc est unguentum, precor?

Cam. Pinguedo nonnulla, extorsa ex fabis hircorum, et aqua, destillata e fimo virgineo, condita floribus, qui crescunt noctis 35 tempore mediae, cum diurno cursu mulsum rustici portarunt.

Bart. Preciosissima quidem medicina huic homini.

Cam. Primo cornua deponam. Bartolde, porrige serram. Aselle, repugnas medico tuo?

Bart. Compesce eius impetus et ut equum intractatum ipsum
5 illum constringe. Cave nihil minus, ut crudelibus te non attingat ungulis aut laedat capite cornuto.

Cam. Quam dura sunt et inveterata cornua illa! Ecce serram disturbatam, et omnes fere dentes olentes fracti sunt. Respice iam, protervum animal, cornua! antehac videre non potuisti
10 et non adhibuisti fidem nobis.

Bart. Bone Deus, nec bos ullus est aut campestris fera, cuius caput tanta mole esset aggravatum.

Cam. Quo fecerim dentale?

Bart. Hic habes.

15 Cam. Porrige os! — Bartolde, tene dentem unum! — at nunc habes alterum!

Bart. Dentes illos reservabo ac interdum dabo ad videndum, quasi aliquid spectatione dignum; extorquebo a videntibus pecuniam, ut hi faciunt, qui monstra marina adducunt.

20 Cam. Affer pelvim atque aquam infunde, herbasque impone odoriferas, ut barba intingatur, posteaque [A 5b] tondebitur.

Bart. Omnia praesto sunt.

Cam. Quales imposuisti herbas?

Bart. Nescio certe, quo nomine nominantur, nam crescunt
25 in horto, ubi cloaca exitum habet.

Cam. Recte sane. Tene mentum nec te move. Barba sat est madida. Sed ubi nunc est rallum?

Bart. Apud te in scamno.

Cam. Ioannes, conspice barbam tuam; nigra est ut erat
30 apostoli, qui Christum tradidit. Credo te fidum esse et, ut commune proverbium est, omnes esse cautos hospites, res suas tollant cum diversorium ingredieris.

Bart. Debilitatur neque assuetus antea est vim perpeti tam fortis medicinae.

35 Cam. Probe dicis, nam vultus eius mutatus, et naturalem non servat colorem, quod signum fragilitatis est. Nunc confer unguentum.

BART. Nonne et pillulas attulisti?

CAM. Cepit me oblivio. Cursas igitur ad bostar nostrum et collige, nam nimis remote apotheca distat.

BART. Faciam.

CAM. Recipe animum atque ad te redi et resipisce; scio 5 enim pillulas, quas allaturus est Bartoldus, maxime tibi profuturas. Vide, iam venit.

BART. Recipe iam manum plenam.

CAM. Video parum prodesse medicamenta nostra. Ne forte in manibus nostris morietur, tutum est, ut confessionem faciat. 10 Verum aspice vultum eius et ecce modo. Nisi caveatur, spiritus eius hos relinquet artus. Iamiam semivivus genua flectendo mirabilem committet turbinem atque inter nos omnes confusionem. Mi Bartolde, consule viros in hac re peritos et qui nobis facile possunt subvenire, ne clamor ille nostras obtundeat aures. 15

BART. Facturus sum, sed modo unum habeo mente, quod, nisi me spes fallat, eum omnino ab omni sua purgabit infirmitate.

CAM. Effa[A 6^a]re, mi Bartolde. Vides enim, qualem et quam turpem modo habeat aspectum.

BART. Optimam sibi fore medicinam iudico, si ad parvum 20 quidem tempus fune fuerit suspensus in cloaca bursae nostrae, quae efficacem producit vaporem, quem si tempore et quidem pauxillulo sopitus fuerit, ab instanti omni secluso morbo sanabitur.

CAM. At prius confiteatur velim.

BART. Et ego in sacris sum, id onus mihi imponetur. Sed 25 quo posui superlicium?

CAM. Accipe retro te.

BART. Nunc incipias, bone Ioannes, confiteri omnia delicta tua et procul dubio salvaberis. — Quid audio? omni die surripiebas rusticis et aucas et pullos? O grande peccatum! Quid 30 amplius? dic absque formidine. — At scelus hoc gravius. Fuit virgo priusquam deflorasti eam? Animadverte bene: primum magnum est, quod virginem oppressisti, deinde, quia servicialis erat patri tuo; praeterea, cum puerum peperit, iurasti te non fecisse: factus es periurus; postremo maximum censeo, quod in eo loco 35 peregisti, ubi equi sacrificium habent, et quod fueris impudicus:

nam perpetrasti videntibus equis. Sed quoniam vere confitenti venia denegari non debet, sed pius confessor, qualis ego sum, poenitentiam debet iniungere, haec erit poenitentia tua: Nam pro his ceterisque delictis tuis et foetore horrido magistros tuos lar-
5 gissima coena refocilles. Tuos inquam magistros, quos posthac ob eam, quam in te gesturi sunt, humanitatem benivolentiamque colere et observare teneris, necnon et confessorem summum animae curatorem, itidemque corporis tui medicum, qui in hac ipsa hora tibi penitus destituto preciosissimis medicamentis quam citis-
10 sime subvenit. Hos itaque pingui refectione potuque reconsilies. [A 6b] Non sis parcus hoc vesperi, sed liberalis. Committas famulo, ut afferat de vino meliori, ut virtute eius membra nostra debilitata recreationem capiant. At mihi autoritas sola est poenitentiam praestare et non absolvere: quamobrem ad magistros te
15 mitto, quibus haec dignitas est absolvendi. — Reverende magister, peccator hic est maximus, haec indicenda perpetravit facinora; auctoritas mihi data est iniungere poenitentiam; feci; ut bona sua ad dilapidandum daret, et quidem nobis, iniunxi, et pollicitus est nos omnes vino optimo reficere, omne aes exponere, quod genitor
20 eius collegit ex agro Tusculano, omnem pecuniam, quam mater eius in thesauro quodam abdidit ac marito abstraxit. Vade ergo, Ioannes, ad magistrum et veniam obtinebis.

Post depositionem omnes appropinquabunt ac dicant: Proficiat vobis, Ioannes!

CAPITULUM III

QUOMODO DISCIPULI DE EXERCITIIS LECTIONIBUSQUE LOQUANTUR.

25 CAMILLUS. Mi Bartolde, scis tu, quot lectiones ad baccalaureatus gradum et exercitia complere oportuerit?

BARTOLDUS. Optime scio, nam lectiones sunt novem, exercitia sunt sex.

CAM. Et quo pacto complentur, scisne?

30 BART. Quidni? nam tripartitae sunt et lectiones et exercitia. Itaque in tribus mutationibus [quas] integre complere poterit, id est in spacio unius anni cum dimidio. Nempe una in [A 7a]

mutatione tres lectiones duoque exercitia recipere ac audire est necesse qui cito promoveri voluerit.

CAM. Qui scis?

BART. Scio equidem, quod a baccalaureis plurimis, qui optime norunt, audiverim. 5

CAM. Ego tecum una proficiscar, cum complere volueris, ad audiendum huiusmodi libros. Sed audi, unum est quod abs te scire volo; nam ferunt, si in principio ac fine lectionum fuerimus, sat esse pro completione, et, si voluerimus, medio tempore ter quaterve intrabimus. 10

BART. Cur hoc? qualis illa completio esset?

CAM. Dicunt enim, nihil nos percipere in lectionibus, praesertim in altioribus libris, utpote phisicorum et consimilibus, sed, cum ad promotionem pervenerit, nobiscum dispensatur.

BART. Erras vehementer, nam facultatis artium magistri ita 15 instituerunt, ut quemquam, priusquam admittatur, affirmare oportet iuramento, qualiter audiverit, quotiescunque neglexerit. Quondam erat, ut permulti promovebantur, qui rarissime fuerunt in lectionibus; proinde magnam susceperunt pecuniam pro tali negligentia. Sed notabant maiores nostri dissolutionem scolarium et proficere 20 vel nullos aut paucos. Statuerunt nunc, ut quisque audiat compleatque diligentissime, ac legentibus praecipiunt, ita nobis prosint opera sua, ut nobis haud minuta sit eventura utilitas.

CAM. Certe grave est, ut ita dixerim, molestumque semper adesse; timeo me non facturum. 25

BART. Cupis promoveri, non posses subterfugere.

CAM. Dicam me affuisse.

BART. Et eris periurus. Verum enimvero robustae complexionis es, non repente periurium in facie tua denotatur.

CAM. De hoc satis. Dic mihi, a quibus magistris audie- 30 mus? [A 7^b]

BART. Vidi intimatum hodie, magistrum Iodocum libros lecturum elencorum prope valvam ecclesiae Sancti Spiritus hora sexta et, ut arbitror, ante meridiem, septima vero audituri sumus in eodem loco libros phisicorum a magistro Petro, et post meridiem 35 in libris de anima a magistro Iacobo lectio fiet in paedagogio.

CAM. Recte narras, memoriae ista mandabo, ut, cum ire volueris, paratus sim. Quid tunc de exercitiis sentis?

BART. Magister meus parva logicalia disputabit in sua habitatione, illic affuero, et veterem artem magister Ioannes, cui me
5 applicabo.

CAM. Optime sentis. Ceterum quas audiemus resumptiones?

BART. Nondum deliberavi; at scrutinium quoddam et quidem diligens habebo. Quam plurimi sunt, quibus visum est maiorem assequi scolares utilitatem in resumptionibus quam aut nancisci in
10 lectionibus aut exercitiis. Nam si quippiam magister noster resumeret, certe non negligerem, est enim facundus persuasivus: quasi res ageretur mihi aparet, cum aliquid in apertum ducit.

CAM. Et eadem mihi est sententia de hac re. Nullum oculis meis conspicatus sum magistrum, qui rem abditam maximeque
15 occultam tam pulchre tamque lucide possit detegere et simplices tam facile primum instruere. Te oratum facio, Bartolde, sic te accingas, ne unquam negocium aliquid impedimento sit, quin semper et frequentia quadam in eius simus resumptione.

BART. Faciam, et cupide quidem atque hoc, quod ex te ve-
20 hementissime habere volo.

CAM. Fiat ergo. Sed est mihi negocium quoddam abeundi. Parce multiloquiis ac vale.

BART. Et tu vale, mi Camille. [A 8ᵃ]

CAPITULUM IIII

DE ALTRICATIONE VIARUM ET DISCIPLINARUM.

CAMILLUS. Hunc magistrum tu quasi ad coelum attulisti, ta-
25 men modernus est.

BARTOLDUS. Quid tum?

CAM. Nihil ab eo deinceps audiam.

BART. Eo stultior es, si doctrinam despicis. Nam non solum realistae verum etiam moderni magnam partem philosophiae con-
30 secuti sunt.

CAM. Sed versantur in sophismatibus tantum, veram doctrinam aspernantur.

Bart. Offendis veritatem, nam eruditissimi viri reperiuntur inter modernos. Nonne audisti, in quibusdam terris eos possidere integras universitates? ut Viennae, Erfordiae, utque quondam hic erat. Nonne arbitraris, doctos hic bonosque fuisse? et nostro aevo adhuc reperiuntur. 5

Cam. Scio quidem et intelligo, sed fama eorum parva est. Elaborant solum in parvis logicalibus et sophisticis opinionibus.

Bart. Non recte intelligis, nam clari sunt in enunciationibus et syllogismis. Non reperies artium studiosos, qui syllogismos ceterasque species argumentationis facilius noscant quam moderni. 10

Cam. Et in vera scientia nihil sciunt.

Bart. Quam mihi facis veram scienciam?

Cam. Praedicabilia Porphyrii, kathegorias Aristotelis, in quibus aut parum noscunt aut nihil.

Bart. Inhonestum est, te illa dicere. Turpe esset, tam cla- 15 ros viros illa non intelligere. Animadverte regulas consequentiarum, in quibus usitatissimi sunt, integram observant speciem, nonnullam argumentationis itemque silogismi, et cum universalia praedicamen[A 8^{b}]taque principia sunt argumentationis, necesse est ut pernoscant; alioquin in tota nihil efficerent argumentatione. Sed 20 hoc interest: alium habent docendi modum quam realistae. Quodsi intenta cura audiemus, non parum fructus est allatura eorum doctrina.

Cam. Te rogo, mi Bartolde, expone mihi, quid tamen utilitatis in se habet modernorum via? 25

Bart. Exponam, ut libet. Sed unum volo, quod percipias. Non tanto amore amplector doctrinam ut realistarum, censeo tamen, nullius doctrinam esse spernendam. Praebe igitur attentas aures et quae dicam trade memoriae. Primum, quod profuturum in via modernorum censeo fore, quod ab ipsis discamus proposi- 30 tionum vim, in quibus profundi sunt, boni in opinionibus enunciationibus, insolubilia obligatoriaque plane intelligunt conversionesque habent in raris propositionibus, de quibus his inferunt, qui non noscunt, plurima inconvenientia; tunc propositiones hypotheticas, vim quandam contectam in se continentes, praeclare norunt, 35 in hisque quis sit modus arguendi; neque etiam reperies inter

dialecticos quosdam, qui tam enunciationi (?) de silogismis, quemadmodum et ipsi, loquuntur. Quid in his proprietatibus censemus, quae terminos respiciunt, ut suppositio ampliatio ac de propositionibus exponibilibus; ac novissime multos paralogismos et fere
5 multos intermiscere, in quibus magna amoenitas est; sic etiam inter arguendum tam repente os clauditur respondentis, etiamsi protervus fuerit. En habes utilitatem, quam ingentem reputo.

CAM. Est enim, ut ays, sed mihi iam cordi non est, vitam meam in his sophisticis et cavillosis conterere argumentis.

10 BART. Fac [A 9ᵃ] ut libet.

CAM. Scio magistrum, qui Albertum, quem vocitant doctorem magnum, imitatur. Illius sequar doctrinam.

BART. Et quasi minor sit beatus Thomas reputas?

CAM. Res illa me latet, verum nomen Alberti praestantius est.

15 BART. Certe non, quia sanctitate gaudet beatus Thomas.

CAM. Certum est, quia plures fuerunt sancti simplicitatem prae se ferentes; si quidem mea coniectura est, tamen ex operibus, scilicet devocione et ieiunio abstinentia, sanctitatem obtinuisse etc. dominum vero Albertum scienciae propter excellentiam meruisse
20 magnitudinis nomen. Cernisne, quod iam praeconium ad philosophiam splendidius sit?

BART. Velim me esse cum sancto Thoma.

CAM. Piger, si facultas daretur, qui non exoptaret habundantiam, atque cum ita sentis ingredi religionem praedicatorum,
25 ut ipse fecerat, insuda ieiuniis ceterisque praeceptis ad beatam vitam ducentibus, et eris comes eius vitae sanctitatisque particeps. Vides, quod elabitur oratio tua, ex studio artium hoc non percipitur, sed ex contemplatione divina.

BART. Nil prodest verba evomere, mea sententia fert claram
30 esse doctrinam beati Thomae.

CAM. Neque ego repugno, quamquam Albertum praefero. Verumtamen, si placuerit, accedamus magistrum Iodocum; is Scotum sequitur.

BART. Nequaquam, omnes enim ipsum odio persequuntur.

35 CAM. Quamobrem, scisne?

Bart. Haut scio.

Cam. Edicam: ea propter est, nam aemuli subtilissimi Scoti doctrinam non intelligunt.

Bart. Hoc aliqui exclamant, sed fabula est; quippe doctissimos hic quamplurimos habemus magistros. Nam miranda res esset, si hunc ipsi non intelligerent.

Cam. Cognitum est, eos multas, quas ipse fecit, distinctiones percipere non posse.

Bart. Neque illa nos diiudicemus; acquiescamus his, qui prudentiores sunt. [A 9b]

CAPITULUM V

DE ALTRICATIONE POETICAE AC IURIDICAE FACULTATIS.

Camillus. Magister Conradus Schuitzer interpretaturum se intimavit Terentii comoedias, sumusne audituri?

Bartoldus. Quid autumas in his esse comoediis utilitatis?

Cam. Qui indecorum est et praeter officium boni hominis tam nobili scientiae detrahere!

Bart. Putasne, homines intelligere perdoctos, quid in se Therentius boni habeat? Praeceptores paene omnes dissuadent prorsusque inhibent. Nam de nuptiis deque lascivis rebus eius sunt comoediae, quae adolescentulis lasciviam libidinemque incutiunt. Idcirco omnium fere magistrorum eadem sententia est, hanc ut a nobis lubricitatem removeamus, nam et impedimento est in capessendis disciplinis et obstaculo.

Cam. Paucis tecum agam. Si me audieris, spero me propulsaturum hunc a te errorem.

Bart. Quem errorem? obsecro.

Cam. Cognosces postea, cum ego te arguam quadam ignorantia.

Bart. Effare igitur, si quid habes.

Cam. Faciam. Primo ex te scire cupio, a quibus hausisti, poetas illos nihil boni scripsisse? Habesne ab his, qui plura in ipsis scripta legere, an ab his, qui nullam ab eis capere sententiam queant?

BART. Neque hoc plane scio, at, quantum coniectura carpere
valeo, nihil in poetis sapiunt.

CAM. Audisti unquam, quaeso, disciplinas aemulos non habere
nisi inscios? Etenim proverbium illud est tri[A 10a]tum. Timent
5 enim quosdam doctiores evadere quam ipsi sunt, ac, ne usu hoc
veniat, magnopere potentiores sic litteratiores habere existimant.
Equidem, si ultro citroque acumen ingenii extendamus atque do-
ctissimos cognoscere conemur, certe poetae sunt et hi qui labo-
rem arti oratoriae impendunt. Audi illos, flagito, qui preciosum
10 hoc iubar sanctumque decus cuiusvis sententiae vicio dent: repe-
ries illos quasi elingues, et sic, quando depromere accidit rem
in se habentem difficultatem ullam, saepenumero in medio ser-
monis cursu cadunt a proposito, quia ipsis diripietur loquendi
facultas, crebro obmutescunt, quando loqui maxime necessarium
15 est; at, si continuant, tam incompti sunt et agrestes in sermoni-
bus suis, tam pressi et pedestres tamque indecentes, ut plus si-
lentio honoris haberent quam gloriae loquendo consequuntur.

BART. Obmutesce, mi Camille. Si huiuscemodi sermo tuus
deferretur, tibi irascerentur.

20 CAM. Recte mones. Ratio mihi in hac re atque cautio ha-
benda est. Ceterum, si nullo negocio alio essem praepeditus,
enodarem tibi, quanta esset in poeticis fabulis utilitas. Si quis
detegeret, tu conspicare mysterium sacrum, quod nullo ebetis vulgi
vis animo complecti ac comprehendere potest. Sed longam factu-
25 rus essem orationem et fortasse taediosam. Propterea, ne pluri-
bus agam, de poetarum carminibus hoc est satis dixisse. Nunc
mihi succurrit: volui antehac te consuluisse, sed defluxit a pro-
posito oratio mea. Statui mecum ad iura me in brevi velle ap-
plicare et experiri, quid in ea facultate queam percipere. Qualis
30 tibi est sententia?

BART. Non dissuadeo, quia ipsam crebro commendare audi-
verim. Sed latissima facultas est, nimium requirit praemium, li-
brorum copiam; [A 10b] vix ulla est ex omnibus disciplinis, quae
tam magnam diffusamque codicum multitudinem exigit, ut iuridici,
35 et ut frequens lectio observetur, sine qua non potest esse eruditus
iurisconsultus; postremo memoria ut ampla sit, multos casus

variosque possit retinere. Primo igitur examina te ipsum, paulo
ante memorata ferre possis. Quisquis enim ut praemeditetur,
quid acturus sit, necesse est, ne inceptum turpitudine novissime
deserat.

Cam. Laboriosum est, fateor, multa memoriae affigere. Sci- 5
mus tamen nihil magni sine et labore et periculo consequi quem
posse. Verum sanum est concilium tuum, extimo, sapientis fore,
matura deliberatione agere, quicquid inchoare velit, et non incon-
sulta celeritate in negocium ruere. Foresne mihi in tali facultate
contubernalis? 10

Bart. Qui possum? Liber mihi nullus est. Pauperculus
sum, comparare nequeo.

Cam. Quid, si una libros haberemus?

Bart. Si illiusmodi mihi ostenderes humanitatem, faceres ut
perpetuo me debitorem tibi cognoscerem. 15

Cam. Quiesce. Scribam parentibus, in hac re praesidio sint.
Spero, me responsum ex sententia habere. Tum efficiam, ne un-
quam nostra societas dirumpatur. Sed modo mihi est negocium
quoddam cum hospite. Vale.

CAPITULUM VI

DE COMMUNIBUS LOCUTIONIBUS CUM SPACIANTUR.

Camillus. Spaciabimurne, Bartolde, atque animi quandam 20
refectionem suscipiamus?

Bartoldus. Nescio. Opinor, studio incumbere plus commodi
afferret quam vel plateas invisere vel campum.

Cam. Quis autem tanta assiduitate potest artibus insudare?
Verendum utique est, ne doctrinam minus mansuete quispiam 25
capiat, nam [A 11a] ab acutissimis audivi viris saepissime, ingen-
tes labores studentibus non esse adiiciendos, sub quibus fessi
corruant.

Bart. Verissimum quidem hoc est et frequenter mea ista
fuit opinio, ut liberum interdum haberem animum atque remissum. 30
Etenim sic reor: qui semper in ocio est, taediosum facit tepen-
temque intellectum.

Cam. Sis igitur paratus et ibimus.

Bart. Quorsum enim? rogo.

Cam. Ad campum et ad pratum. Ducam te ad loca viridia, in quibus lilia crescunt virentque flosculi, atque varium illic ger-
5 minat graminis genus et cor tuum laetabitur, quasi in gaudio paradisi esset constitutum.

Bart. Suntne arbores etiam prope?

Cam. Non solum arbores, sed nemus quoque densum; equidem in umbra quiescamus, et pratum hoc, in quo te ducturus
10 sum, rivis circumlabitur, de cuius accipiemus susurro haut parvam delectationem.

Bart. Ego paratus sum. Orna te capucio et iter arripiamus.

Cam. Faciam.

Bart. Per quam portam exibimus?

15 Cam. Per ipsam, quam Sancti Iacobi nominant.

Bart. Non placet.

Cam. Cur non? quid obstat?

Bart. Porcos solent atque alia pecora per illam compellere ad aquam. et taediosos excitant pulveres. Non sat. Quis potest
20 nares obturare? et vestes etiam non parum deturpantur.

Cam. Attingamus aliud iter. Vis per portam inferiorem?

Bart. Recte sane. Nihil iam melius dixisse potuisses; sed via longa est, alia fuisset brevior.

Cam. Quid faciemus, cum ad pratum pervenerimus?

25 Bart. Hoc ex te volo intelligere; tu enim tanta laude extulisti locum illum. Vix exspectare possum quousque videam.

Cam. Invenies, me nihil esse mentitum. Dirige oculos tuos trans Neckarum, et, ubi eminentissima quercus se obiicit, est locus, quem tibi descripsi.

30 Bart. Cerno, at propius pratum est altera parte circumseptum. [A 11b] Conspicisne? multifarius color florum eminet.

Cam. Video prope, sed aliud est spectaculum, ad quod te ducturus venio.

Bart. Si iam visum esset, intraremus aquam — sol fervi-
35 dus est — et sudorem depelleremus.

Cam. Noli, precor. Flumen periculosum est; istic plures

submersi sunt. Opinor, te percepisse rumorem de cadavere in aqua comperto paucis ante diebus: certe hic periculum subivit. Si utique mens tibi fuerit balneandi, ducam te in rivum securum.

BART. Recte suades, verum ad pratum prius, quod tantopere collaudas. 5

CAM. En, prope est. Ubi vis capiamus quietem?

BART. Censeo, alta sub salice potissimum.

CAM. Quare non sub pomo?

BART. Huc confer oculos. Certe locus est amoenior estque iocundior, nam gramina sunt recentiora et plus floribus mixta. 10

CAM. Fiet.

BART. Audi, mi Camille, quam pulcher avium concentus aures nostras complet. Recte dicebas locum illum ceteris laetiorem instarque paradisi amoenum.

CAM. Pauci hoc pratum sciunt, et, si alii quoque hunc locum 15 perscrutarentur, semper hic copia foret sociorum.

BART. Vehementer me recreat rivi defluxus, et visu delectabile est, pisces hincinde vagari.

CAM. Et quis avium convolatus! Conspice prope nos ciconiam. 20

BART. Reor, me in istiuscemodi prato nec unquam quievisse. Ad dexteram cerno ripam piscibus abundantem, in sinistra omnia ferme sunt crescentium genera, retro nemus est avium e concentu clangescens: philomena canit, alauda cantu suo non deest, omnesque volucres voces suas subtiliant. Deinceps, Camille, libellos re- 25 cipiamus atque huc pergamus; enimvero multum hic acui deberet ingenium, si quid memoriae traderetur.

CAM. Et hoc quoque mihi apparet. Deinceps longe censeo optimum, ut, quod in lectio[A 12^{a}]nibus exercitiisve audiverimus, inter quiescendum hic repetamus. 30

BART. Iam noctescit et culmina fumant: petamus oppidum.

CAM. Adeo delector amoenitate hac, ut redeundi nulla mihi succurrit ratio. Surgamus ac velociter meatum attingamus.

CAPITULUM VII

IN QUO ALTER ALTERUM DE ITINERE INTERROGAT.

CAMILLUS. Unde venis?

BARTOLDUS. De Erfordia.

CAM. Quae nova ducis in apertum?

BART. Nulla prorsus, penitus nulla.

5 CAM. Arbitratus sum, Erfordiae veluti portum esse novorum omnium.

BART. Res illa me fugit, et, ut verum fateor, non delector in novitatibus audiendis.

CAM. Quorsum est iter tuum?

10 BART. Heidelbergam versus.

CAM. Quid tuum ibidem negotium est?

BART. Multociens ad me delatum est, optimarum artium disciplinas illic in magno esse vigore. Ideo experiri volui ritum ipsius universitatis, et tu oportune iam obviam mihi dedisti. De-15 clara, quaeso, quaenam consuetudo studii vestri sit.

CAM. Faciam quae vis. Sed prius enarra quae ex te cognoscere volo.

BART. Quae illa sunt?

CAM. Expone modum universitatis vestrae.

20 BART. Faciam cupide. Primum colunt viam modernorum, antiquos, si qui sunt, non admittunt, neque ipsis concessum est aut legere aut exercere.

CAM. Quamobrem?

BART. Propter dissensiones, nam litigia concitantur, e quibus 25 inimicicia oritur nasciturque invidia. Ad evitandas vero huiuscemodi concertationes unam viam habere existimant.

CAM. Id laudandum non est; nam si multiplex esset via, acutiores fierent usitatioresque et ad arguendum promptiores discipuli.

30 BART. Verissimum hoc est.

CAM. Sed rogasti, quis sit ritus universitatis nostrae tibi enodarem. Est enim longe alius, ut audio, quam vester. Pri-

mum [A 12^b] modernos non excludimus; si quid boni haurire poterimus, non recusamus. Tum in quaque via magistri admittuntur; salvum est cuique resumere, quod probationibus suis continere valeat. Siquidem apud nos sunt aliqui, qui Albertum sequuntur, qui Thomam in diligentia, qui subtilissimi Ioannis 5 Scoti vestigia observant coluntque et admirantur, et horum omnium doctorum disciplina ad ingenii exercitationem confert.

Bart. Equidem magnum mihi iam incussisti ardorem studendi. Nihil dulcius mihi est, nihil iocundius quam audire, quid excellentissimi viri sentiant. Te oro, optime fautor, me instruere 10 velis, ad quam me bursam recipiam, in qua studium maiori haberetur veneratione.

Cam. Nam, ut paucis dicam, bursae omnes plenae sunt. Magna iam copia et multitudo suppositorum est, et extra locum probatum stare non licet. Id unum suadeo, universitatis pedel- 15 lum alloquaris, vacuamne sciret habitationem, aut unum indicaret, qui te ad ipsum ut contubernalem acciperet.

Bart. Faciam, sed ubinam est sita pedelli habitatio?

Cam. Nunquam antehac Heidelbergae fueras?

Bart. Nunquam. 20

Cam. Quid audio? Difficile erit bonam ut consequaris habitationem, nisi alicuius praesidio fueris usus ac promotione, qui notus esset.

Bart. Sed neminem habeo. Te igitur facio precatum, eam mihi humanitatem ostendas et in hac re manuductionem praebeas; 25 ubi in beneplacito tuo comparare debeam nihil obmittam.

Cam. Condescendam petitionibus tuis. Nunc advesperascit, ut vides. Futura luce, quam primum me a somno solvero, in negotio tuo ero familiaris.

Bart. Sed ubi diversorium bonum est, ostende, obsecro. 30

Cam. Cernis domum acialem picturis decoratam?

Bart. Cerno.

Cam. Illic divertere possis.

Bart. Vale.

Cam. Et tu quoque. [A 13^a] 35

CAPITULUM VIII

QUO PACTO IN MENSA LOQUUNTUR.

Camillus. Pulsus fit ad prandium; vadamus; propera, alioquin neglexerimus.

Bartoldus. Recte hortaris, etenim si neglexerimus ceteri nos haberent derisos.

5 Cam. Proverbium hoc commune est 'si quis damna tulerit, derisione non caret.'

Bart. Atque hoc merito facerent, nam nobis nullum est negocium, quamobrem in prandio non essemus.

Cam. En, contecta est mensa. Si paululum adhuc remorati 10 essemus, illis hic sedentibus fuissemus fabula.

Bart. Attingamus nunc cibum. Arduum mihi est praestolari in mensa, cum cibaria praesto sunt.

Cam. Bone socie, tam grossus es, quasi sine benedictione velis comedere?

15 Bart. Neque sacerdos neque theologus sum.

Cam. At Christianus. Num religioni nostrae congruum est? benedictionem dicamus, ne ut porci in escam ruamus.

Bart. Dicax es. Ego cibum accipiam. Sed quid rei est, quod plerumque vitulinis carnibus vescimur?

20 Cam. Sile paulisper, deinceps efficiam leporinas habeas. Quid his carnibus deficit, obsecro?

Bart. Non conditae sunt, nimis molles; extimo, vitulum istum vix ter matrem vidisse, et, ne mirare multum, nemo in patria mea uteretur, quisque timeret, ne subiret morbum aliquem.

25 Cam. Scio equidem, quod in patria tua ferinis semper vescuntur. Fabis autem, arbitror, et lentibus pulmentisque atque mulso quid ais? tali ferculo mater tua cum te genuit in puerperio usa fuisset et quandam suscepisset recreationem.

Bart. Nimium garris. Stolide agerem, ut verbis tecum cer- 30 tarem, maxime cum edendo occupatus essem et tu homo es praeter garritum picarum nihil habens.

Cam. Quae[A 13b]so, effare, in prandio iam quis plus quam tu locutus est?

Bart. Non possum me continere, quin ea quae sentio loquar. Proba tu potum et dic, cuiusmodi sit quantique valoris.

Cam. Vach, undenam potum hunc tam acerbum attulisti?

Bart. Gaudeo vehementer, te approbare quod dixerim, quamquam metui, ut in ceteris ita in hac re mihi nihil contra- 5 diceres.

Cam. Quid ais? veritati semper assentior.

Bart. Iurgia semper adducis et vero acquiescis rarissime.

Cam. Non dicas hoc; scitum enim est, me veritatem amare.

Bart. Ha ha. Cum alius diceret, me ad credendum indu- 10 ceret. Cernisne, quam speciosa laus ista sit, quae proprio fluxit ex ore?

Cam. Aselle, arguis me turpitudine propterea quod indecentiam tuam tibi manifestavi? cognoscis, quid modo feceris? primus es in parapside, portionem meliorem sumis, quae non ante te 15 posita est. Sunt illi boni mores? quid, si ceteri impetu te iam invaderent et ad soleas ducerent? amabo, num promeritus esses?

Bart. Num mihi liberum est portionem accipere?

Cam. Non, nisi hanc quae tibi apposita est. Quem reris tam ignarum esse aut tam obtusi ingenii, qui meliorem non ca- 20 peret portionem? verum seniores hic sunt et honestiores quam aut ego aut tu. Baccalaurii praeferendi sunt, qui honestatis insignia susceperunt, sed silent; dant hoc verecundiae, quod te non increpant. Quid autem animo volunt? hanc enim sententiam: „quam grossus ille, quam illotus!“ Nescisne quam illicitum tibi 25 est, manus tuas scabiosas primum in cibariis lavare?

Bart. Si baccalaurei dicerent, bono animo susciperem, sed a te, qui omnia mihi in partem deteriorem interpretari soles, habere nolo, et, nisi ab his desistes, involvam ad capillos manus meas teque docebo, ut luce clarius intelligas, quem infestare de- 30 beas. Raro mihi pax est raroque quies, cum cibum capere debeo.

Cam. Et si ungues ut bestia [A 14ᵃ] campestris haberes, si cornua, ut ‘bos’ tibi diceretur, quem putas facile perpeti posse ineptias tuas? Verum arbitraris minis me vincere velle? inveniam remedium et quidem utile. Nam magistro acta haec omnia ma- 35 nifestabo.

BART. Possis quidem, si placuerit. Sis proditor noster et, ut ceteri proditores suum deportant praemium, ita quoque et tu.

CAM. Neque idcirco proditor essem, sed importunitati tuae resisterem.

5 BART. Nescio, cuius haberes officium, si blandire studeres; utique gnatonicum opus prae te ferres. Quod ceteri fecerunt, num deferres ad aures magistri et velut favorem eo conares pacto tibi comparare?

CAM. Sileas, ut gratias dicatur.

10 BART. Fiat.

CAPITULUM VIIII

DE QUIBUSDAM ALTERCATIONIBUS INTER SCOLARES.

CAMILLUS. Quo posuisti librum meum?

BARTOLDUS. Neque habui librum tuum.

CAM. Scio equidem te habuisse.

BART. Equidem veritati parcis.

15 CAM. Hoc unum scito a me: si unquam librum meum in manibus tuis reperiam amplius, efficiam, ne deinceps occultes.

BART. Hercle, non occultaverim. Quam difficile es ad credendum! Etiamsi opus esset iuramento, affirmarem.

CAM. Neque iuramentis tuis fidem adhibeo. Natura enim 20 tua fortis est, iuramenta non facile in ea ipsa dinotentur.

BART. Precor, noli nimium agitare stimulis atque pungere verbis tuis quasi aculeis quibusdam, aut ea quae nolueris audies! Audisti unquam, obsecro, consultum esse canem quiescentem non excitare ad rabiem?

25 CAM. Nosco te verbis multum efficere, re autem ipsa vel parum vel nihil.

BART. Utinam mihi in rem foret, non multum abesset, quin manibus te impeterem atque verberibus afficerem. Sed percipe verbum unum: Quociens, oro, rebus meis et libris usus es et ve-30 stibus veluti tuis? quando te invaserim obprobriis et obiurgationibus, in se habentibus contumeliam, quemadmodum mihi facis?

[A 14b] Ubinam familiaritas nostra est, quae olim inter nos contracta est, quando dicebas me ac te ipsum diligere?

Cam. Edepol, fecissem, si tuum erga me animum non immutasses, neque ita de me velim cogites, ut tibi inimicarer. Amo personam tuam plus quam dicere convenit, sed mores tuos nec 5 probo nec commendo.

Bart. Dic, bone Camille, quando unquam ostenderim tibi quid, quod dignum sit quod amicitia nostra remissione minui debeat.

Cam. O quasi nunquam feceris! et in dies magis et magis 10 summo mentis conatu elaboras, qualiter mihi nocere possis atque esse obstaculo. Duc in apertum, quid te impulit, ut pridie ad magistrum me tulisti, cum resumptionem obdormiverim, qui postea me obiurgabat? a crimine accepistine praemium aliquod? At si te proditorem nuncuparem, forsitan adversus me conciperes iram. 15

Bart. Est hoc malefactum. Si saperes, gratiam mihi haberes amplissimam, ut profectus tui gratia egerim, ut postea maiori cura et diligentia resumptiones amplecteris. Ex hoc, ita me Deus amat, ampliare opinatus sum amiciciam.

Cam. Probe. At dictum est antiquitus 'Quod tibi non vis 20 aliis fecisse cavebis.'

Bart. Atque hoc ego laudo.

Cam. Et quare mihi indignaris, si quando te objurgo propter mores tuos tam corruptos tamque rudes.

Bart. Interpretarer, inquam, plerumque in partem meliorem, 25 si me amoneres amice, haec mihi manifestares secrete. Sed cum publice exclamas, omnes in me oculos coniiciunt. Quem autumas aequo animo posse sufferre?

Cam. Ut nunc te cognosceres in factis tuis, et hoc idem, quod postulas, faceres, non tam celer fuisses ad magistrum ac 30 dixisses me obdormivisse. Cur non ad me venisti et me suscitasti? Tunc ego verum in me amorem tuum cognovissem.

Bart. Verum ais. Quis autem [A 15a] omnia praemeditetur?

Cam. Aliud est etiam, in quo magnam habeo displicentiam. Quamprimum in verbum aliquod prorumpo vulgare omni absque 35 deliberatione, e vestigio me signas.

Bart. Nemo supportatus est. Etenim noris, commune hoc esse statutum, alter ut alterum signat pro sermone vulgariter prolato. Non ideo inter nos opprimi debet societas.

Cam. Nihil verius narrare posses, sed multum acerbum est 5 prope dixerim et molestum non uti sermone populari.

Bart. Omne alicuius rei exordium arduum est, inprimis magnis in negociis; verum consuetudo assiduitasque frequens mitigat molestiam.

Cam. Bone Bartolde, magna difficultate me abstineo princi-10 pio, quando me signas; sed cum profectum intueor, tum nulla est in me erga te indignatio.

Bart. Et sapientis conditio est scire indignationem amovere. Nunc satis est, nos de hac re talia dixisse. Nimis longum produximus sermonem. Vale.

CAPITULUM X

QUALITER INTER SE LOQUANTUR, CUM AD EXAMEN SE SUBMITTERE INTENDUNT.

15 Camillus. Habeo litteras a parentibus, e quibus intelligo, nisi me submittam examini, nullum amplius ab ipsis habeam praesidium. Angor me torquet atque metus exagitat.

Bartoldus. Quamobrem?

Cam. Timeo, quod non promovebor.

20 Bart. Cur non?

Cam. Multa sunt retinacula. Non bene complevi, multi magistri me odio persequuntur; proinde retardationem vereor, parum profeci, metuo reiectionem. Itaque non parva res me angit et prorsus me infestat.

25 Bart. Consule magistrum tuum. Is noscit, quid faciendum fugiendumque [A 15[b]] fuerit in hac re.

Cam. Ipsum consului. Dissuadet; parum, inquit, me sapere.

Bart. Scio conditiones eius. Nam timorem tibi incutere existimat. Certe non est necesse, ut tantopere timeas. In mani-30 festo est, multo indoctiores fore in examine. Ego audaciam mihi quandam vendicarem; scis enim, timidos nihil perficere posse.

Cam. Dicis aliquid, sed fortuna non semper aequalis est. Ego si reiicerer, magister arbitraretur, se excusatum iri, ex quo mihi praedixerit; scandalum mihi esset, atque adeo maximum, patris mei genitricisque aspectus non pateretur. Nihil haberem, omnibus essem fabula et derisio. 5

Bart. Neque tam strictum est negocium. Audi verbum unum; spero tibi esse profuturum. Habundans enim possis examinatoribus facere honores reverentiasque. Nostro aevo multum faciunt munera; tribus quatuorve florenis omnium tibi favorem comparabis. 10

Cam. Recte iudicas. Nunc cepi animum.

Bart. Et id facere necesse est. Nam si a rustico quippiam impetrare velis, nisi favorem primum reconciliares, incassum flueret labor tuus.

Cam. Ego me frustra conari non existimo, cum manus pe- 15 cunia plena fuerit.

Bart. Num apud Ovidium meministi te legere: Munera crede capiunt hominesque Deosque, placatur donis.

Cam. Scio, quidnam facturus sum.

Bart. Quidnam? 20

Cam. Significabo parentibus, ut ampliorem mihi pecuniam dirigant.

Bart. Quantam modo suscepisti?

Cam. In nundinis proxime dilapsis mercatores duodecim florenos mihi dedere. Scribam adhuc pro decem, et, antequam in- 25 trabo, faciam collationem unam, invitaboque magistros, quos offenderim unquam aut re aut verbis; ipsos quoque tractabo lautissime. Spero me sic obtenturum favorem eorum. Ceterum, percipias me, aliud est, quod me intus [A 16ª] cruciat.

Bart. Quale hoc est? 30

Cam. Non bene complevi, et, ubique in lectionibus exercitiisque non fuerim intitulatus, vereor, me non extorquere recognitiones.

Bart. Optime poteris. Nam magister tuus humanus est, aliis plerumque condescendit, cum aliquid ab eo postulant. 35 Certissimum censeo, cum verbum feceris nomine magistri tui,

impetrabis quicquid petieris, etiamsi nunquam fueris in lectionibus.

CAM. Reddis mihi animum; periurus autem ero.

BART. Omnis baccalaureus promotus periurus, et, ut patet
5 multis, pauci ex magistris hac peste carent.

CAM. Video mercatorem, quem me alloqui necesse est. Vale.

CAPITULUM XI

QUOMODO DE LUPO LOQUUNTUR STATUTISQUE IN BURSIS AUT COLLEGIIS.

CAMILLUS. Quod inferi eum eradicent, et, si unquam investigabo nomen eius, ultro non evadat.

BARTOLDUS. Quid te sollicitat?

10 CAM. Obsecro, animadverte: duodecies fuerim in lupo! Ribaldus certe et ab ove differt nihil, omnibus caret, et discretione et decentia.

BART. Quis erat?

CAM. Haut scio.

15 BART. Si eum ignoras, quorsum pergit iracundia tua?

CAM. Dabo operam, perscrutabor ipsum; tandem postea iniuriam hanc ulciscar.

BART. Non est iniuria, sed potius statutum. Noli mirari, quod totiens signatus es: centies potuisset te signasse. Equidem,
20 ut verum dicam, unicum a te latino sermone verbum per integram octavam non audiverim. [A 16[b]] Et cum ita faciamus, nisi foret medium aliquod quod interesset, non modo inter beanos et nos verum etiam inter laicos nullum ego cognoscerem discrimen. Tam inepta esset, tam sterilis locutio nostra, ut nihil supra.

25 CAM. Certe nimium est, tociens inscribere. Et, quod plus me intus cruciat, quater in coquina arreptus sum: postulant a me denarios.

BART. Quo iure hoc faciunt?

CAM. Rogas? Statutum fecerunt, ne quis intret coquinam,
30 nisi famulus sit aut causam quandam habeat urgentem.

BART. Fuitne publicatum statutum istud?

CAM. Fuit.

Bart. Culpabilis es; nullam habes excusationem.

Cam. Non aestimabam, ut tam stricte statuta illa vellent tenere. Et talem invenerunt modum: Si quis infra mensis decursum non dederit, congregantur magistri in stuba communitatis et postulant; recusanti duplicatur poena. Postremo, si non obtem- 5 peraverit, poenalis ipse denuncietur rectori et maius periculum incidit.

Bart. Qualis astutia hominum est!

Cam. Non credis, quam infensi nobis sunt theologi.

Bart. Omnia ista vobis antehac manifestabant? 10

Cam. Sic est. Pulsare iubebant, palam omnia edixerunt.

Bart. Immerito eos accusas.

Cam. Quid ais? pro effusione statuerunt duos albos! quo pariter in statuto poenalis sum. Utinam Cerberus triceps hos ipsos alatraret. 15

Bart. Habeto rationem et desine maledicere, ne resistant plurima pericula, cum ipsis subires. Scis, quale hoc praeceptum est: praeceptores non offendamus, nec verbis detrahamus.

Cam. Quid arbitraris? Decem a me florenos extorquent una in septimana. Ubi accipiam? in ortulo meo non crescit hoc, 20 censeo. Quo iure quaque iniuria possunt, auferunt a nobis pecuniam.

Bart. Culpa tua est; volens [A 17a] hanc incidisti poenam. Deinceps cautior eris. Percipito verbum unum. Tantus erat foetor interdum hic, ut nullam ego rem mirandam duxissem, si 25 omnes incoli fuissent infecti. Laici praetereuntes saepius dicebant: „Mirum est, sapientes viros indecentiam hanc perpeti posse.“ Vidisses undique in curia sub fenestris squalorem noctium de urina, et accidit, quod princeps noster Philippus praeterivit, os naresque non satis potuit obturare. Et, quod turpius est, tam inconsiderate 30 aliquando se habuerunt, in die magistros aliosque ibidem ambulantes offendebant. Haut parum conducit illa minuere ac penitus deponere.

Cam. Probe locutus es, et ego aliquociens hanc mecum habui sententiam. 35

Bart. Nam, ut mihi apparet (ne semper iudicio aliorum

relinquam), nibil melius effecisse potuissent magistri nostri, et pro utilitate omnium nostrum et pro honestate bursae servanda. Respice parietes, domos ac latera. Num turpe est, ut sic depravantur? et nisi illud inhiberetur, infamia nobis in populo suc-
5 cresceret.

CAM. Iam me induxisti, ut tecum actum illum approbem atque iram, quam concepi, a mente procul removeam. Exponam pecuniam libens; postea cautus ero. Sed tempus est coenandi. Vale.

CAPITULUM XII

EST DE QUIBUSDAM COMMUNIBUS LOCUTIONIBUS INTER SCOLARES.

10 CAMILLUS. Eram in lectione, non unicum didicissem verbum. Nos praeceptores nostri cogunt, tempus hoc frustra consumimus.

BARTOLDUS. Unde hoc evenit? Arbitror, te non advertere, aut enarra, quale sit impedimentum.

CAM. Id enim est obstaculum, quia [A 17^b] nimis alta gra-
15 visque materia est. Potius eam exponerem pecuniam et non intrarem, interea quid facerem, quod mihi foret utilitati.

BART. Cuiusmodi lectio est?

CAM. Librorum de anima.

BART. Liber iste parum prodest non intelligentibus aut his,
20 qui fundamento carent. Cur intrasti?

CAM. Numquid me complere oportuerit?

BART. Consule magistrum tuum. Fortasse huius rei remedium inveniet.

CAM. Consului. Nullum inquit esse remedium; si complere
25 voluero, necesse sit affuero quam diligentissime.

BART. Mihi silendum est, si magistri tui huiusmodi fuerit sententia.

CAM. Ha, nihilominus faciam, ut placuerit.

BART. Sum citatus a rectore, et is putat, se extorsurum a
30 me poenam. Tanta ira inflammatus sum. vix sanguinis guttam invenies ullam in corpore meo.

CAM. Quamobrem te citavit?

BART. Quod pectorale defero ac collirium cancellatum, et vidit camisiam meam plicatam, quasi solus essem qui defert!

CAM. Scio enim, quod statutum est, ne quis deferat. Cum tibi praedixerim, noluisti fidem adhibere. 5

BART. Cur non ceteros pariformiter citat?

CAM. Nostra non interest diiudicare, quid ipse facit, sed potius acquiescendum statutis.

BART. Videbo, si quas fingere valerem evasiones.

CAM. Optimum factu esset. 10

BART. Quo iturus es, Camille?

CAM. Ad disputationem.

BART. Ibo tecum. Praestolare paululum, habeo magistro meo nonnihil dicere. Mox veniam.

CAM. Festina igitur, vel tempus dilabitur. 15

BART. Faciam. — En, festinabam. Pridie mecum institui hodie gressum velle eripere ad disputationem; nam respondentes boni sunt atque acerrimis ingeniis, specialesque habent opiniones contraque communem usum nostrorum tenent, et litigiosi sunt. Audies mira. 20

CAM. Facile dictu est eos tenere; at magistris arguenti[A 18a]bus labescunt.

BART. Nihil firmi sunt in factis suis.

CAM. Quid putes? nonne magistri reperiuntur viginti annorum? Hi multos codices viderunt librosque, quorum autorum 25 perspexerunt astutiam, arguendo observant. Mihi non est veri creditu, quod resistere valeant. Nam adolescentes sunt atque adeo imberbes.

BART. Optime opinaris ac potius intelligis. Primum etiam, cum audiverim, rem stolidam iudicabam, verum obstinati sunt et 30 multum praesumptuosi.

CAM. Eo peius, verum audiamus. — —

BART. Quidnam tibi de hac disputatione videtur, Camille? optime responderunt, neque ego unquam eos tam doctos instructosque putassem. 35

Cam. Et revera mihi placuit. Sed magister Ioannes Rechenmacher nimis impetuosus est, quasi furore quodam eos inclamabat.

Bart. Omnibus facit respondentibus. Quicquid enim dicunt, nisi ei consentiant, velut iram quandam evomit; at si eum se-5 quuntur, tunc ait, eos nihil sapere.

Cam. Antiqua eius consuetudo est et omnino inveterata. Sed quid de magistro Martino sentis, qui paralogismo ipsum fere decepisset?

Bart. Proprium est omnium nominalium, ut cavillosis suis 10 veniant argumentis. Non laudo.

Cam. Sed decorum est scire solvere, et in hoc dialecticus probatur.

Bart. Quis autem dies suos in sophismatibus omnes terminabit? nonne plures sunt altioresque scientiae et facultates, quibus 15 operam impendere necesse est?

Cam. Ea ipsa mihi est sententia. Tempus prandendi est. Vale. [A 18b]

Bart. Eram in disputatione serotina. Omnino taedio affectus sum; raro intrabo amplius.

20 Cam. Quamobrem?

Bart. Nullius utilitatis mihi apparet, ut opponens huiusmodi primum prodium in apertum ducit. Nam ille baccalaureus balbutiens erat, tertium vix ab eo apprehendere verbum potui. Siquidem existimo, ipsum dulcedinem concepisse de eius locutione.

25 Cam. Nonne tritum illud proverbium audivisti 'omnes male loquentes verba multiplicant'?

Bart. Et ceteri pariter faciunt, multos incassum sermones producunt.

Cam. Vetus est consuetudo, propter nos non deponetur.

30 Bart. Ego raro intrabo.

Cam. Quasi statutum iam fecerunt, ne amplius illi, qui phisicorum nuncupantur, ad soleas ducentur. Haut parum miror, circa eos magistros esse tam sollicitos, veluti in hoc vis aliqua contineatur.

BART. Scis, cur faciunt?

CAM. Haut scio.

BART. Nam, nisi hoc esset, aut pauci aut nulli disputationem intrarent.

CAM. Cur et nostro tempore id non erat statutum? 5

BART. Ignoro, sed multa in tempore variantur; sic quoque et hoc. Sed video Petrum conterraneum meum; ipsum adibo.

CAPITULUM XIII

DE QUIBUSDAM COMMUNIBUS.

BARTOLDUS. Ubinam eras, Camille?

CAMILLUS. In auditorio ordinariarum disputationum.

BART. Quid boni modo egisti? 10

CAM. Lecta sunt statuta. [A 19ᵃ]

BART. Tociens ego audiverim, quod taedium amplius audiendi conceperim. Expediverim saepissime audire privilegia nostra; sed tam felix non sum.

CAM. Puer es, stolide loqueris. Si tantam dé privilegiis 15 cogere posset dominus rector pecuniam, quantam de statutis, credo, inquam, singulis etiam annis nobis legerentur.

BART. Sentis mecum, ut audio.

CAM. Equidem in memoria habes, Bartolde, quam parato animo tibi pecuniam crediderim? Tu pollicitus es, eam in brevi 20 tempore restituere. Non facis. Mihi grave est.

BART. Obsecro te, mi Camille, ne interpreteris in deterius.

CAM. Non faciam, ita me Deus salvat, studiose.

BART. Profecto nulla mihi iam est pecunia. Praestolor in dies nuncium de patria; quam primum venerit, te contentum 25 faciam.

CAM. Illae semper sunt locutiones tuae. Etenim tibi notum est, me esse pauperem et indigere pecunia, et tu minime perpendis. Sed rogo te propter eum inter nos favorem, quem iamdudum contraximus, rem illam ac solutionem non velis longius differre. 30

BART. Faciam et providebo cura quidem intentissima.

CAM. Habesne nuncium ad patriam?

BART. Habeo.

CAM. Precor, ut ores ipsum nomine meo, accipiat litteras ad parentes meos.

5 BART. Visita ipsum et cautelam tibi ostendam, quibus rebus efficies, ut paratus fuerit ad negocium tuum.

CAM. Quibus enim? dic.

BART. Cantrum vini si dono dederis, faciet libentissime.

CAM. Mihi non est pecunia.

10 BART. Et frustra laboraveris.

CAM. Alias profecturus est, atque hoc expediret sine impedimento.

BART. Ut tibi apparet. Scio enim quid rei est: parcitatem tuam semper ostendis, nec eam abdere possis; plerumque erum-

15 pit. Liberalitas autem apud te nullibi locum inveniet.

CAM. Si noluerit, dimittat. Ego abibo.

BART. Quasi [A 19b] stimulis quibusdam te agitabam. Recede ergo, qui verum audire non poteris.

CAM. Optime fautor, te venio oratum, tres albos ad parvulum

20 tempus credere velis. Nam, ut tibi secreta mea revelem, per integram octavam nec obulus fuit mihi unicus et, si unquam tibi prodesse potero, faciam cupide.

BART. Parva quidem ac minuta mihi iam est pecunia. Unum scito, ut in mensis spacio restitues; alioquin omnis nostra dis-

25 sociaretur amicicia. Nullus enim tanta mihi nunc est familiaritate, unico te dempto, coniunctus, cui iam crederem.

CAM. Et nunc non mentiar.

BART. Considera fidem ipsam ut teneas.

CAM. Faciam.

---

30 BART. Sum magna in tristicia nec quo me vertam scio.

CAM. Quid te sollicitat?

BART. Nuncium haut bonum.

CAM. Cuiusmodi hoc est nuncium?

BART. Uterque parens mortem obiit.

CAM. Iocarisne?

BART. Deus vellet.

CAM. Estne certum nuncium? obsecro.

BART. Certissimum.

CAM. Recte condoleo tibi. Quid nunc facturus es? 5

BART. Quamprimum patriam petam; nam frater mihi est et soror parvula et divitiae magnae sunt. Suadent amici, curam domesticam suscipiam, ne bona nostra dispergantur ad manusque veniant aliorum.

CAM. Quid tunc de studio fiet? 10

BART. Nihil aliud nisi ut postponam.

CAM. Grave est.

BART. Non solum grave, sed etiam molestum.

CAM. Pone spem tuam in Deo, nunquam enim de[A 20a]relicti sunt in eum sperantes. 15

BART. Et faciam necesse est.

CAM. Audivi horrendum dictu, timor me circumdedit et tremor oppressit.

BART. Cuiusmodi hoc est?

CAM. Nam venit conterraneus quidam et ait, tam vehementer 20 patriam nostram invasisse pestem, ut singulis diebus plus quam triginta sepeliuntur.

BART. Serio dicis?

CAM. Certa res est.

BART. Qualem mihi timorem incussisti! Non praestolor; 25 quam cito ipsum quaeram, ut, quid rei sit, firmiter sciam.

CAPITULUM XIIII

QUALITER STUDENTES DE MULIERIBUS LOQUANTUR, CUM AMORE EARUM INFLAMMATI SUNT.

CAMILLUS. Unde pergis, Bartolde?

BARTOLDUS. Fui in ecclesia devotionis gratia. Utinam domi mansissem!

CAM. Quid novi accidit? 30

BART. Noli investigare. Nulli dicam.

CAM. Nunquid mihi dicturus es?

BART. Sile, in vanum laboras.

CAM. Nonne lectitasti saepius 'amicorum communia esse de-
5 bent omnia'?

BART. Scio equidem, sed non poteris opitulari.

CAM. Neque nocebo forsitan. Quando illud ipsum mihi negocium palam faceres, remedium invenirem.

BART. Timeo, quod nullum.

10 CAM. Eloquere, precor. Si possum, ero praesidio.

BART. Sis ergo taciturnus.

CAM. Mutus penitus.

BART. Steti in ecclesia et puellam quandam inspexi; quae cum rursum suos in me coniiceret oculos, cor meum liquefactum
15 erat; totum corpus meum incensum erat adeo ut quid facerem ignorabam.

CAM. Quaenam erat puella?

BART. Noscis filiam adolescentiorem Gabrielis Schwartz?

CAM. Nosco.

20 BART. Ipsa fuit. [A 20[b]]

CAM. Cave, obsecro, quia menstruosa est et iam venenosa. Serpentis instar inficere solet. Teneto hoc firmiter: si ad eam propius accessisses, periculum quidem magnum et grave subivisses.

BART. Quid audio? hoc non intelligo. Cuiusmodi haec est
25 dispositio mulierum?

CAM. Mi Bartolde, ignoras?

BART. Certe. Declara, rogo.

CAM. Nam quolibet mense mulieres fluxum sanguinis patiuntur. Tunc plus quam viperae venenosae sunt, ut, si oculos in
30 aliquas tunc spersit, sine cordolio non evadet. Eousque etiam interdum quis ex earum aspectu debilitatur ac plene inficitur, ut ex omnium vita discedit.

BART. Abhorreo iam a mulieribus. Sed precor, habentne etiam virgines?

35 CAM. Habent et saepius quam mulieres.

BART. Nunquam deinceps inspecturus sum mulierem. Rem

egisti mihi gratissimam, cum hoc exposuisti. Vale, video magistrum; ibo ad ipsum.

BART. Quorsum est tibi iter, Camille?

CAM. Ad praetorium. Illic choreas celebrant. Ibisne una mecum? 5

BART. Non.

CAM. Videres rem gratam oculis tuis.

BART. Quidnam?

CAM. Facies et virginum et mulierum quasi angelicas, et cor tuum laetaretur, ac si in gaudiis paradisi foret constitutum. 10

BART. Non delector choreas neque videre mulieres. Multo pulchrior est aspectus sapientiae, qui studiis acquiritur litterarum. Quiescit namque paradisi gaudium, ubi virtutum copia disciplinarumque fructus comparatur. In praetorio iam, si bene pensabis, ibi res est dyabolica, non prudentia sed venus, non doctrina, non 15 iusticia, non veritas, sed deceptio. Nam in vultu veluti rosae videntur florere et omnis ille decor superficietenus est, intrinsecus autem tamquam ulcus, quod habet et insaniem et foetorem et venenum.

CAM. Sile, precor. Alioquin facies, ut nunquam mulierem 20 intuerer. [A 21ᵃ]

BART. Sumne aliquid mentitus? Quae enim pestis plus nociva est quam mulier?

CAM. Fateor. Sed nimium oblique interpretaris quasi singula de ipsis. 25

BART. Nunquam tanta verbis explicari potest malicia, quin maior habet in eis imperium.

CAM. Et ego hic permanebo ac tecum optimis artibus insistam.

BART. Optime facis, mi Camille. 30

CAM. Optime fautor, proficiscere mecum. Certe facti te non poenitebit tui.

BART. Quorsum profecturus es?

CAM. Eo ad domum Arnoldi, habebimusque vultum alacrem.

Bart. Quis iam illuc conveniet?

Cam. Aderunt enim pulchrae mulieres, speciosissimae virgines. Talem habebimus aspectum, ut quasi nec amoeniorem expetere valeres.

5 Bart. Forte me ducis ad montem Veneris.

Cam. Dimitte illa atque acquiesce precibus meis.

Bart. Non faciam.

Cam. Quare non?

Bart. Scio, quid periculi subsit.

10 Cam. Nullum periculum.

Bart. Dicas huic, qui ignorat. Etenim in una hora tantum debes inflammari, ut in una quindena nullam haberes ad studium appetitus rationem. Nunc tibi apertum est, quam noxius sit litterarum studiosis mulierum aspectus.

15 Cam. Honestae sunt mulieres.

Bart. Equidem non vadam, ne ad libidinem conciperer.

Cam. Sed e sermone faceto ipsarum sentiam dulcedinem.

Bart. Dulcedo forsitan verborum te allicit? Dulcior est hodierna disputatio, in qua sanctorum virorum atque eruditissimorum 20 verba tractantur, narranturque praecepta ad bene beateque vivendum.

Cam. Recte putas, et ego tecum iter arripiam.

CAPITULUM XV

UT PRAECEDENS [A 21b] NARRAT DE MULIERIBUS.

Camillus. Bartolde, veni, obsecro. Tibi aliquid demonstrabo.

Bartoldus. Quidnam demonstrabis?

25 Cam. Sperge huc visum. Vides virginem iam praetereuntem?

Bart. Video.

Cam. Quis enim tam ferreus est aut lapideus, cui non talis aspectus afferat delectationem?

Bart. Quid? stolide quaeris. Sapiens stultus efficere nequit, 30 quia is est et infirmus et mollis natura.

Cam. De sola loqueris sapientia.

BART. Et sola vita hominis est. Examina te ipsum ac bene diiudica, qualis tua haec fuit locutio. Nam aspectus femineae figurae te vicit. Quid gladius faceret viri robusti?

CAM. Abi hinc. Nolo amplius te habere mecum.

BART. Non potes audire verum. 5

CAM. Quid tecum loquar? Asperior es, ne dicam immanior, feris silvestribus, nam quaeque amat alteram ut consocium vitae suae.

BART. Et, si bene dicere debeo, tu beluis similior es quam viro sapienti, quia sensu moveris et non ratione. 10

CAM. Fateor. Certus visus me movebat, et, si rationem sequi voluero, oppositum dicam.

BART. Nunc abibo, quia quod volui habeo. Vale.

BART. Cerne, nunquid clenodium est et pulchrum et preciosum? 15

CAM. Ubinam cepisti?

BART. Dono datum est mihi. O quam tenerrimae fuerunt istae manus, e quibus accepi!

CAM. Video bene, quod annulus est. Etiamsi magnipendis, tres quattuorve valet albos. At cuiusmodi manus fuerint, mihi 20 exposueris. Scire nequeo.

BART. Non donum quantum benivolentia dantis placet.

CAM. Unde tamen habes? dic, obsecro.

BART. Nulli autem dicam.

CAM. Nulli omnino? [A 22[a]] 25

BART. Maior nata iudicis.

CAM. Certe ridiculus es.

BART. Quamobrem?

CAM. Quod rem minutam magnipendis. Si hoc scires ac plane intelligeres, quod ego sentio, procul a te amoveres. 30

BART. Quid hoc est? eloquere, rogo.

CAM. Dicam, si tecum retineas.

BART. Neque tam rimax sum, ut facile omnia dilatarem.

CAM. Videas, ne laqueus collum stringat tuum, et annulus in kathenam vertatur ferream. 35

BART. Non satis hunc tuum intelligo sermonem. Quo pergit ista oratio?

CAM. Enucliabo. Nam eandem dicunt violari. Alius nuclium cepit; si voles, habebis aut testam aut sportam.

5 BART. Quid ais? Profecto honestissima est.

CAM. Iam sentio, quia ipsam ardes ac amore es eius inflammatus. Tu verbis si meis fidem non habes, conspice ventrem, nunquid tumescit?

BART. Optime Camille, quo ex fonte illa hausisti?

10 CAM. Rumor undique in oppido est, atque tam cito, si poterit, genitor eius ipsam tibi copulabit in uxorem.

BART. Et ea mihi intentio hucusque fuit, ipsam ut ducam.

CAM. O extremam dementiam, O manifestissimam insaniam! propter mulierculam unam atque adeo vilem studium relinquere 15 velis optimarum artium, incensus earum amore ac pulchritudine eius? Propulsa hanc, obsecro, a te intentionem et cogita, quod vir sis.

BART. Quid possum? amor enim ossibus inhaesit.

CAM. Quid audio? En, remedium. Cogita, quam flexibile 20 animal sit mulier, quam indomitum et quam nullis frenis possit retineri. Cogita, quia haec inhonesta est corruptaque et deflorata et certe extinguetur ac prorsus deletur eius, quem in eam habes amorem.

BART. Faciam; certe nihilominus plurimum me tibi daturus 25 cognosco, quod illa, quae fugiebant, exponere non recusabas. Videbo, quid mihi conveniat. Vale. [A 22b]

CAM. Optime fautor, si opere solutus es, proficiscere mecum.

BART. Quorsum?

CAM. Scies postea.

30 BART. Ante scire magis commendo.

CAM. Equidem laudabis.

BART. Non faciam, nisi dixeris.

CAM. Non seducam te, videbis.

BART. Fidem non adhibeo, etiamsi iuramento affirmares.

35 CAM. Ducam te ad choreas vespertinas.

BART. Quid illic boni?

CAM. Adest oculorum amoenitas, copia scilicet et mulierum et virginum.

BART. Absurda sunt oculorum spectacula, nihil magis noxium quam illa videre. 5

CAM. Theologus es, antiquos retines mores.

BART. Noli theologiam exprobrare: plus profutura quam res tuae sunt inanes.

CAM. Nihilominus vadam.

BART. Eo non prudentior es. 10

CAM. Nihil, quod nocere potest, eventurum est.

BART. Nihil? nonne vides laicorum multitudinem, qui nobis semper insidiantur causasque quaerunt per phasque nephasque, ut nos invaderent? Quid, si impetum in te facerent et furore quodam aggrediantur? 15

CAM. Nihil revera dicere posses, quod verius esset. Nam quosdam conspicor, qui capitale adversus me gerunt odium; tibi summam habeo gratiam, ut illa deprompsisti. Nunc manebo.

BART. Nihil consului.

CAM. Discedam cubiculum et cras integre, uti fertur, sur- 20 gam, ac integra quidem pelle.

BART. Optime censes effugiesque pericula.

CAM. Optime Bartolde, vale.

BART. Et tu vale, mi Camille.

CAPITULUM XVI

DE COMMUNIBUS LOCUTIONIBUS INTER STUDENTES.

CAMILLUS. [A 23ᵃ] Caniculares dies prope sunt, sentio enim 25 in capite.

BARTOLDUS. Quo pacto sentis?

CAM. Quia attaediationem concipio studendi.

BART. Credo, omne tempus tibi esse in cane.

CAM. Quomodo hoc? 30

BART. Nam raro tibi est studendi appetitus.

CAM. Discas tu eo vehementius.

BART. Irascaris.

CAM. Te latet, neque omnia tibi propalari debent.

BART. Audisti unquam duplices homines inveniri? illi ira-
5 scuntur, hii ut floccum vestimenti parvifaciunt.

CAM. Lepidum tibi est, ut me afficis derisione?

BART. Quid, si dicam?

CAM. Quid, si manus tibi conferam in capillos?

BART. Tam cito?

10 CAM. Citius certe quam tibi videtur.

BART. Et quid tunc ego essem facturus?

CAM. Tentabimus, si libet, et numerum tibi ostendam unguium.

BART. Malo esse quietus et tibi credere. Nosco enim, quod
15 factiosus es. Ego autem maiorem amplecti cupio discretionem quam verberibus pugnarem. Propterea abibo.

CAM. Principes veniunt. Audis tubicines?

BART. Audio.

CAM. Eamus visum.

20 BART. Nunquam antehac vidisti principes?

CAM. Vidi, sed huiuscemodi iam habent ornatum, quem conspicere admodum cupio.

BART. Mollis es ut mulier, quae omnia cupit intueri. Maneas; indicabo tibi nonnullam Ciceronis epistolam, in qua ut in
25 speculo quodam antiquissimum hunc cernes philosophum vitaeque praeceptorem.

CAM. Faciam revera, et libentius quoque. Sed ubinam est?

BART. En, praesto est. [A 23[b]]

CAM. Unde venis?

30 BART. Dicam tibi mira. Conspexi ostentationem ioculatoris.

CAM. Dii boni, quid audio! Ceteris semper inhibere soles, et, quam dissuades, in eandem incidisti foveam.

BART. Noli mirari. Effecit magister N., quoniam videndi

haberet appetitum meque rogaret, ipsum sequerer. Non audebam denegare, praesertim cum pro me denarium exponeret.

CAM. Quid boni vidisti?

BART. Nihil, quod aut relatu dignum esset aut quandam mihi dedisset delectationem. Dimicare scivit, quod commune est; 5 habuit vulpem: ea humanis vocibus obtemperat, de quo parumper mirabar. Postremo vitreas hymagines fecit de loco quodam velato exire, quae bellum inter se gerebant. Optimum autem cedit ioculatori, nam pecuniam tollit, bursam complet: alias nihil boni potui conspicere. 10

CAM. Utinam tecum una fuissem.

BART. Parum refert, illa videre aut non videre. Nempe si gratis omnia per integram valerem videre diem, mallem abesse atque cum hac fatuitate tempus conterere.

CAM. Illo sermone facis, quod non conspicar, sed ibo ad 15 sermonem.

BART. Recte censes.

CAM. Ibimus ad ecclesiam atque audiamus sermonem. Nam monachum illum ferunt praedicare, qui venit de Ytalia.

BART. Ille pinguis forte est, qui fuit Heydelbergae apud 20 minores?

CAM. Ipse idem.

BART. Saepius eum audivi. Non est facundus. Loquitur quasi fabulas quis recitaret.

CAM. Atqui doctus est. Nam si vera sunt, quae rumor 25 praedicat, doctior eo non est in oppido.

BART. Non repu[A 24a]gno. Sed negocium est mihi modo abeundi; tempus non patitur.

CAM. Hastiludia erunt in foro, conspicabimurne?

BART. Non. 30

CAM. Quamobrem repugnas? non poteris mecum una proficisci?

BART. Non videbo, etsi torneamenta fierent. Nam nulla est inde ventura utilitas.

Cam. Videbis concursum hominum, quem plurimi videre volunt.

Bart. Manifestissimam video hominum insaniam, atque quam plures debachantur, tu de turba illorum videri velis.

5 Cam. Dissuades in tantum, quod appetitus eundi videndique elabitur.

CAPITULUM XVII

QUOMODO RESPONDERE QUIS DEBEAT, CUM IN PRIMO DE UNIVERSITATIS RITU INTERROGETUR.

Camillus. Gratus est mihi adventus tuus, optime Bartolde, et te salvum advenisse plurimum gaudeo.

Bartoldus. Habeo tibi gratiam amplissimam et te quoque 10 salvum invenisse non minus gaudeo.

Cam. Quid boni affers de universitate tua?

Bart. Parum habeo negociari cum consanguineo meo.

Cam. Suscepisti baccalaureatus insignia? enarra, obsecro.

Bart. Nondum, sed examini proximo me submittam.

15 Cam. Fortunam tibi prosperam exopto.

Bart. Et ego tibi pariformiter.

Cam. Optime fautor, estne multitudo iam suppositorum in universitate vestra?

Bart. Certe multitudo est; nam omnia collegia bursaeque 20 plenae sunt, nec ullum tempus mihi succurrit, in quo tanta copia pluralitasque fuit, quemadmodum [A 24b] iam est.

Cam. Vigetne studium?

Bart. Quantum mea ratio apprehendit, vix unquam in tanto vigore erat ut nunc est.

25 Cam. Quae autem facultas plus floret?

Bart. Facultas artium.

Cam. Quae via nunc floret?

Bart. De omni opinione reperies artium cultores, at via doctoris sancti amplior est aliis.

30 Cam. Nempe a pluribus audiverim, quondam universitatem illam plenam fuisse modernorum dogmatibus.

BART. Sic est, et adhuc seniores magistri, maxime de natione Suevorum, moderni sunt, sed scholares non habent inclinationem ad ipsos.

CAM. Quid autem de via dices vel doctoris magni, vel subtilis? 5

BART. Nihil. Nam qui Albertum sequuntur, pauci sunt, tres tantum quattuorve magistri Coloniae promoti, et totidem qui fortasse Scotum sequuntur, sed parva est eorum audientia parumque resumunt.

CAM. Quid dices de sumptibus? quo in precio habentur 10 comestibilia?

BART. Satis in competenti omnia sunt foro, pane excepto: nam siligo triticumque in caro precio sunt.

CAM. Certe Lypsick non solum est. Dies nonnulli praeterierunt, ut nec cum aliquo pistore panes invenisses. At cerevisia 15 vestra optima non est.

BART. Sumus assueti rastrum potare, sed, qui assuetus non est, interdum praeferret potum tenuiorem.

CAM. Rumor est, medicinae quendam esse doctorem, qui excellentiam quandam prae se ferat. 20

BART. Probe dicis. Nam ars eius minor est quam fama, si vera sunt, quae plerique iam, et illi qui intelligunt, praedicant.

CAM. Perdulcis fautor, consanguineus mihi est adolescens facilis naturae, capax ingenii. Is inclinationem quandam ad studium habet universale, parentes vero eius pauperculi sunt, non 25 multum praesidio esse possunt. Quantae pecuniae sibi necessariae sunt?

BART. Ut tibi vera dicam, ad minus ut habuerit viginti florenos, vel singula non bene expediet.

CAM. Vach, nimis magna pecunia. [A 25ª] 30

BART. Pecuniosos requirit universitas.

CAM. Consului nuper unum magistrum. Fuit eius sententia, ut famularetur magistro alicui atque additionem adiungeret. Quid tibi videtur?

BART. Nescio certe. Si aliquantisper possem, potius fruerer 35 libertate. Studium liberos requirit, et in promptu est, eos saepe-

numero parum proficere, qui solis disciplinis applicati sunt, nullis aliis rebus involuti. Etenim, ut de me faciam coniecturam, parum in disciplinis nanciscerer, nisi frequentia quadam essem coniunctus semotusque ab omnibus, quae impedirent.

5 CAM. Recte sentis de te, qui abundas. Quid, si meliorare non posses?

BART. Ignoro. Tum, ut reor, accomodarem me et tempori et facultati. At, ut tibi clare exponam, vidi pauperes quosdam famulatibus aggravatos, nonnunquam plus ceteris in disciplinis 10 hauserunt et in eruditissimos creverunt viros. Sed hi multum laboraverunt, ceteris dormientibus fuerunt in studio; nihil tantae reputationis esse censebant quam doctrinam, quam virtutes, quam bonarum artium scientiam.

CAM. Optime intelligo, mi Bartolde, agoque gratiam quam 15 maximam, quod illa tam lucide mihi declarasti. Accipiam deliberationem de hac re. Oro, mecum domum petas et faciamus haustum amicabilem.

BART. Profecto mihi iam non est ocium. Nam iturus sum ad consanguineum meum; pollicitus enim est mihi quodam in ne- 20 gocio fore praesidio. Sed quando fruor liberiori tempore, promptissimo animo tibi condescendam.

CAM. Rem mihi acceptam faceres.

BART. Nondum omne tempus evaserit, diutius enim permansurus sum et saepius conveniamus. Vale.

CAPITULUM XVIII

DE MODO PETENDI PERSONAS HONESTAS AUT AD [A 25b] PRANDIUM AUT AD COLLATIONES.

25 Reverendi magistri, viri magnae dignitatis ac scientiae, petit magister N. dominationes vestras, proxima luce futura secum in prandio fore volueritis, et quibus in rebus reverentiis vestris unquam complacere potuerit, faciet cupidissime.

Honorande magister, supplico reverentiae vestrae nomine 30 magistri N., secum in prandio fore non recusetis, quod erga

humanitatem vestram summo studio laboreque et opere promerebitur.

Praestantissime magister, rogat magister meus, hora vespertina in collatione secum esse volueritis, et quibus in rebus usu venerit ut eius opera rem gratam vobis efficere possit, in eo nun- 5
quam lentescet.

Honorande domine, supplico gratia praeceptoris, rhetoricam Tullii sibi accommodare velitis, et si quam ex eo petieritis materiam, quae foret in manibus eius, non solum libenter, sed cupide insuper vobis accommodabit. 10

Magnifice domine doctor, magister N. honestatem vestram ac dignitatem oratam facit, quatenus crastina die secum prandere volueritis, quod parato obsequio promerere maximo ingenii conatu elaborabit.

Egregie domine doctor, vir modestissime atque optime, facit 15
magister meus dominationem vestram rogatam, quatenus dignemini secum una munus accipere collationis, et qua in re complacitum iri vobis potuerit, faciet diligentissime.

BACCALAUREANDI.

Optime praeceptor, vir suavissime, supplicamus humanitati vestrae, hoc vesperi in habitatione magistri [A 26ª] N. ut fueritis 20
in collatione, atque paupertatem nostram non aspernari velitis, quod quisque ex nobis promptissimo animo libenter promerebitur.

Reverende magister, faciamus reverentiam vestram oratam, quatenus magistri N. collationis officium accipere non recusetis, 25
et nostri in disputatione memor fueritis et omni tempore in vestris beneplacitis erimus studiosissimi.

Reverende magister, placet humanitati vestrae ingredi balneum? Nam pro vobis exponam. Oro insuper, ut bono animo suscipiatis. Equidem, si maiorem reverentiam vobis ostendere possem aut honorem, perficerem studiosissime.

5 Dilectissime magister, puto dominationem vestram memoriae tradidisse me vos contentum fecisse tempore taxae mediae. Venio itaque reverentiam vestram precaturus, quatenus mihi recognitionem assignetis.

Honorande magister, audiverim a vobis exercitium veteris 10 artis; peto nomine magistri mei, testimonium cirographo velitis tribuere, pro quo magister meus vos contentum faciet.

TELOS.

QUAESTIONES FABULOSAE

MINUS PRINCIPALES VEL ACCESSORIAE

HEIDELBERGAE ET ERFORDIAE

IN DISPUTATIONE QUODLIBETARI DETERMINATAE.

I. Zwei Reden
gehalten in Heidelberg ums Jahr 1488
unter dem Präsidium des Jacob Wimpfeling.

Monopolium des Lichtschiffs von **Jodocus Gallicus.**

Monopolium der Schelmenzunft von **Bartholomäus Gribus.**

---

1. MONOPOLIUM ET SOCIETAS
vulgo des Lichtschiffs.

[Holzschnitt: In der Luft segelt das Leichtschiff. mit Passagieren beladen. Zwei derselben rufen hinunter (die Worte stehen auf herabhängenden Bändern), der eine: **hie har zum liecht schiff zu,** der andere: **fiensche eampanie fiensche.** Unten eilt ein Mann auf das Schiff zu, in der Hand einen Zettel mit den Worten: **beita beita.** In der Ferne wird von zwei Pferden ein Weinfaß auf einem vierräderigen Wagen gezogen.]

Quaestio minus principalis a Iodoco Gallico Rubiacensi in disputatione quodlibetari excitandi ioci et animi laxandi causa Heydelbergae determinata.

Si unquam, optimi patres, domini fratres et vos tandem, ingeniosissimi adolescentes, dignum duxistis magno pondere gravatum et sub eo iam prope casurum adiuvari, date, precor, omnes quotquot estis (cum venia vestra loquor) auxilium hodie mihi. Dabitur autem id merito, quia, non modo degeneris et privati hominis 5

verum totius et magnae communitatis partes acturus, sarcinam assumpsi viro etiam robustissimo haud facile sufferendam. Illatum est enim humeris meis hodierna die, ut recentem hanc fabricam navis, cui Lichtschiff nomen est, non quidem velut nauta aut pa-
5 tronus regerem, sed more praeconis, quid prae se ferat, quos admittat quibusve privilegiis tueatur, publice paternitatibus vestris aperiam. Id voluit dominus bacularius Nicolaus Germanus Rubiacensis, conterraneus et discipulus meus mihi obtemperantissimus, qui quum intellexisset, plerosque huius oppidi Heydel-
10 bergensis simulque communis patriae nostrae Rubiacensis cives, hos quidem quiete eandem occupasse, illos vero multa celeritate ad ingressum sese parare, essentque fere omnes aliquantisper literis eruditi, dubitare coepit, an singuli, in navi Lichtschiff recepti, sint pro parte maiori ex numero studentium derivati. Hic itaque
15 dominus bacularius, dum non liceret ei aeque atque mihi hoc loco publice, ut vellet, huic quaesito satisfacere, credidit id oneris curae et sollicitudini meae, eo quod, non obstantibus redditibus nostris paulo ante consecutis (meis quidem in Armatia, suis vero in Betlehem), videremur ambo non indigni huius novae fabricae prae-
20 cones.

Cupiens igitur, optime adolescens, honesto desiderio tuo condescendere, pro eiusdem quodlibeticae quaestionis absolutione aliquali assumptas in pharetram sagittas nunc educere institui, et, ut metam nobis propositam feliciore vehiculo consequamur, principio
25 ad suppositum quaesiti necessarium visum est, ut, quid sibi haec nova machina nostra velit, prodeat in lucem. Sic enim totam hanc concionem vestram, optimi patres, de multiplicibus monopolii nostri meritis et laudibus reddemus certiorem, quibus forsitan plures inducti liberius nostra navigia vel temptabunt vel inhabita-
30 bunt. Placet itaque his solis excelsam hanc navim nostram parari, qui, superiori aetate sua in maturo aliquo et summo statu negotio aut possessione sua, tantam adhibuerunt rebus suis vigilantiam fidelitatem et diligentiam, ut, cum prius essent multarum divitiarum, maximi honoris altorumque tractatuum cura et onere gra-
35 vati, dispensante cum eis ebrietate ocio conviviis negligentia et somno sint de gratia Dei ab eisdem hodie supportati expediti

levificati, unde non incongrue ab inhabitatoribus illud navi nostrae nomen impositum est, ut Lichtschiff vulgariter dicatur. Nec tamen gravant eam maxima, quae sibi in Sperwinckel comparaverunt, mercimonia, centum sextercia balsami von einem geyßkopff, quadraginta plaustra de aquafort. destillata durch einen filtzhuot, tria pondo olei petrolei von Lamparten vß dem crutgarten, mille libras specierum vß der gaukelbuchsen, triginta drachmas aruinae von eim drispitzen, nonnulla etiam talenta argenti mortui et si qua sunt similia.

Venimus deinde ad clarissimos navigii nostri possessores, quos licet dinumerare difficillimum sit et fere impossibile, speramus tamen, tanto numero et ordine nonnullos ex eis posse complecti, ut et reliquos, si qui connumerandi sunt, facile intelligamus. Pro quo benefacit haec unica consideratio, ut animadvertamus eos, qui diffamati sunt apud nos quasi divites essent nec sunt tamen sed potius quasi nihil habentes et parum possidentes. Inter quos occurrunt primi (et huius forsitan navis nostrae patroni) seculares et spirituales principes, titulo quidem summi sed re possessione et subiectione in suo genere infimi, quales inprimis sunt reges, comites, equites. Reges inquam et comites, non illa terrae nostrae suprema capita, nec rex ille invictissimus noster Romanus, nisi temere forsitan assentire nobis cordi est sceleratissimis et sacrilegis hominibus, quos vulgus lantzknecht appellat. Sed et absit hoc a nobis, a patrono nostro, a communitate nostra, ut tanta auri argenti terrarum hominumque potentia gravatum admittamus, qui rempublicam nostram non solum dedecoraret, sed mirum in modum perturbaret destrueret et funditus everteret. Sunt nobis reges ad monopolium nostrum Maximiliano longe accommodatiores, quales sunt: rex Muscaviae, rex Graeciae, rex Moraviae, rex Dalmatiae, Galatiae, Croaciae, Macedoniae, rex Thessaliae, Apuliae, Campaniae, rex Ciliciae, Cappadociae, Isauriae, Albaniae, Scythiae, rex Gaetuliae, Aethiopiae, Hiberniae, et ipsa regina nostra Schliffandriae, cum quibus morantur comites von klein Egypten, comites vom Kalenberge, comites von Hummeneck, comites von Schwartzenloch, *et, bene si numeres,* Geroltzeck *addere debes.* De equitibus vero auratis, quos milites dicimus, nomina mihi cognita

non invenio, tametsi multi suspicentur, ad eos pertinere milites quosdam nuper in coronatione regis procreatos. Nec vero de ceteris *equitibus* dubium magnum est, pro quibus satisfacit vulgatum hoc proverbium: **Alt huren gut kupler, Alt kech gut bräter, Alt rüter gut verräter.** Sequuntur illos *patres nostri spirituales*, in quorum ordine locum obtinent supremum *episcopi* Romani et terrae nostrae suffraganei, qui, supra quam possint facultates suae, pro solo titulo episcopatus consequendo in urbe Romana longa tempora consumunt, ut deinde in perpetuum nobiscum habitaturi omnem totius orbis circulum peragrent, quaerentes, quam et nesciunt et non inveniunt, ad quam tamen sunt dyocesim instituti. Illico adveniunt post illos plerique *abbates* infulati, dicerem melius inflati, et cum eis *monachi non reformati*, quibus omnibus haec una cura est, quomodo abbaciae et conventus sui redditus huic navi nostrae incorporentur, et quo citius eo melius. Sunt autem patres illi tanta pietate donati, ut ex decimis muscarum, quas habent solas residuas, amore religionis foveant etc. *sacerdotes titulares* non beneficiatos, complures *capellanos*, divinorum adiutores, sub quorum etiam habitu clanculo latere comperimus quosdam (et quidem in magna copia) insignium ecclesiarum praelatos et canonicos, qui suarum praebendarum fructus adhuc sequenti anno colligendos iamdudum consumpserunt. Nec vero, fateor, satis exploratum nobis est, an quos diximus navis nostrae cives seculares aut religiosi his qui nunc sequuntur sint merito praeferendi, *alchamistae*, *mercatores*, *iudaei* sacro fonte baptismatis renati; plerisque enim visum est, omnibus civibus illos maiori privilegio gaudere, ipsos essentialiter et intrinsece debere interesse, et dum (quod absit) omnes machinam nostram postposuerint, hos solos immobiliter permansuros. Si quidem *alchamistae*, dum student transmutationi specierum, argenti auri aurichalci et electri, primum ita eas transmutant, ut nihil eis nisi sola purgamenta supersint, deinde omnem supellectilem et quicquid est usquam possessionis suae in aurum argentumve transformant, brevi post in vina transformandum (immo, si creaturae annihilatio concessa est, penitus annihilandum), postremo magna facilitate introducta consuetudine et nullis expensis ad hanc

navim nostram sese suamque familiam traducunt. De mercatoribus autem multa hic recensenda essent, si non illos videremus, aliquando pedetentim nonnumquam subito ad momentum, nauclerum nostrum appellare invocare desiderare, dum comparent in conspectu nostro adeo agiles et levificati, ut, qui nuper grandissima rerum pondera tractabant, hodie foro et singulis plateis sportulas quasdam collo innixas deferant, e quibus unicuique venales exhibent acus, specula, pectines, novaculas, albas ligas, scriptoria, cultellos, fibulas, scripturalia et pauca id genus. Post illos liceat videre iudaeos baptisatos, diversissimis negotiis implicitos, quibus tamen in solita sua felicitate et consueta miseria persistunt. — Proximius assistunt illis monetarii, qui non sibi sed reliquis monetam fabricant, cupedinarii, qui res proprias cum alienis emptioni exponunt, hospites, qui nuper mensae erant domini et principales, nunc autem satrapae sint et famulantes. Conduxerunt autem illi plures vectores et nautas, ut seipsos, dum opus fuerit, et alios curru, quadriga, phaselo et navi inferant, inducant. Nec ab illis remoti sunt sartores et calciarii, quos verius suppetiarios dicerem, vulgo hosenpletzer vnd schubleczer nominatos, quibus hoc officii datum est, ut illi quidem calligas, isti vero calceos propter festinantiam intrantium dirutos resarciant. Sed ubi sunt medici nostri (de cyrurgicis loquor), ubi scilicet specierum venditores, ubi dentium evulsores, ubi herbarum et radicum fossores, qui pro cuiuslibet morbi medicamine herbas se habere saluberrimas profitentur, vendentes tibi, si volueris, 'fecana cageti daphenes bebare gedaco dindima pilius ysmara gargarus associamus ignis grando barbara cameron' etc. Illi etiam procul dubio collegerunt ad se poetas, ut erat ille Samuel noster de monte rutilo, et Petrus Cutis qui nobis mittit verba salutis. Sed theologi quoque, ut erat famatus ille vir, quem inclitus decanus noster satis ornate tetigit, Martinus de Zelandia, nec latere possunt astronomi geomantici chiromantici necromantici arismetrici computistae incantatores musici et totum docentes quadrivium, simul etiam, quem deinde audietis, hic collateralis meus memorista, de quo et socio suo plura hic dixissem, nisi sponte sese naviculae nostrae credidissent.

Privilegia nostri monopolii.

Succedit nunc pro instituto nostro ordine articulus tertius, quo latam **privilegiorum** nostrorum continentiam perstringere curae est, quae si a sanctissimis Romanae ecclesiae pontificibus, patriarchis, cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, im-
5 peratoribus, regibus, principibus, ducibus, comitibus, baronibus, militibus et nobilibus impetrata concessa et confirmata esse dixerimus, id vel verum esse vel verisimile, ex vobis, praestantissimi patres, ambiget nemo. Compertum est enim, plures ex nominatis navigia nostra, si non inhabitasse, saltem transeundo perspexisse,
10 quo tempore et debitas monopolio nostro solverunt angariales et singulari suo munere privilegiorum eam dotabant.

Ex quibus est illud primum privilegium, quod is, qui gubernatorio nomine huic nostrae navi praefectus est, tanta claret regendarum navium arte et peritia, ut non sola (quemadmodum ce-
15 teri) naviget unda, verum aridae quoque et siccae terrae se suaque commendet. Nec illi aliquatenus obsistunt montium altitudo vel proclivitas, non horribilis vallium descensus, non syrtes, non promontoria, non insulae, non cautes, nec tandem immania genera ferarum. Non uno dumtaxat contentus est gubernator noster regis
20 imperio et districtu, sed et omnia quae supra commemoravimus regna circuit, quaerens quem devoret, cui consentiunt fortiter in vino. Verum iniunctum est ei, fateor, ut nonnullas regiones, ut sunt **Westerrich Osterrich Franckrich**, qua possit celeritate transcurrat, tanquam eas, quae nonnihil nobiscum habeant controversiae
25 et adversitatis, aliquas vero diutius diligentius extensius, puta **Schwartzwalt Odenwalt** et **Kreychgau**, propter rerum inopiam revisat.

Quod, sicut cives ipsi summe gaudent et sponte (i. **leider**) accepta libertate, ita nec recipiendos contra naturales machinae
30 nostrae proprietates gravent aut molestent, recipiendo ab eis quod non habent, statutorum aut mediorum fructuum solutionem.

Quod, si quis multo tempore navim nostram feliciter habitaverit, sitque (quod rarissimum est) per amici sui mortem multorum bonorum heres ipse relictus vel constitutus, unde contingat,
35 eum pro hereditatis portione revocari, exitum ei denegamus mi-

nime, hac tamen adiecta conditione, ut de cito redeundo praestet ipse cautionem, velitque pro viribus suis nedum sibi sed et ceteris auxilio esse, quo citius secum ingrediantur.

Quod ultro venientes ultro sint acceptandi, possintque cives nostri, dum omnes terrae provincias circumeunt, invitos compellere, 5 fugientes insequi, latitantes investigare, dormitantes suscitare, tardantes admonere, anhelantes adiuvare, sese praecipitantes in sinum recipere, uno pede vel manu ingressos attrahere, et infra scriptos, qui in parva navicula quottidie eos sequuntur, si digni sunt, non contempnere, quales sunt illi una copulati: principes qui omnibus 10 theloneis et pedagiis renunciaverunt, episcopi qui solo spiramine sancto electi sunt, canonicus qui oblatum episcopatum renuit, iudex qui dona ultro praesentata contempsit, monachi quos intrasse religionem nunquam poenituit, plebani qui ab offertoriis cessare praeceperunt, sacerdotes qui solo Dei amore beneficium 15 acceptaverunt, vicarii qui omni die per circulum anni nunquam intendentes pecuniae celebraverunt, theologus qui conscientiam suam nunquam ampliavit, medicus qui vel nihil vel nimis parum ab infirmo exegit, artista qui nunquam factus est periurus, studens qui nec aucam furatus est, molitor qui farinam nunquam sub- 20 traxit, textor qui fila nulla retinuit, sartor qui minimas panni reliquias restituit, appotecarius qui nunquam decepit, vector qui non maledixit, lusor qui non blasphemavit, iudaeus qui cum christiano sine dolo et fara vixit: hi enim omnes iugiter fideliterque ut assumantur attemptant; debent ergo, ut praecipit **der schellen-** 25 **kunig**, si digni sunt, acceptari.

Quod nulla est nobis formido praedonum, nullus metus piratarum, nullus horror latronum, quin potius hic omnis securitas, iuxta illud autoris nostri pauperis Henrici: *Cantabit vacuus coram latrone viator, Verus et intrepidus fundit ad astra melos*; hic est 30 prorsus ammota omnis cura et sollicitudo, iuxta illud salvatoris: *Nolite solliciti esse de crastino, quid comedatis vel quid bibatis aut quo induamini*; hic nulla est invidia, quemadmodum in reliquis communitatibus, ut vulgo dicitur: *Lutifigulus odit lutifigulum propter simile lucrum*; sed adest nobis omne gaudium, secundum quod 35 praecipit commune Iodoci nostri proverbium: *Gaudium est miseris*

socios habere penantes; hic est tandem omnis perfectio, iuxta illud evangelium: *Si quis habet duas tunicas, vendat illas et emat gladium,* et iterum expressius: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes et da hospitibus.*

5 Si quis velit cambire florenum, nullum penitus inveniat, si vero pignora pro debitis praestare cupierit, aut non habeat aut prius impignorata cum gravi suo dampno redimat, ut de novo praestare pignora possit.

Octavum et postremum, inter cetera magis necessarium: 10 Quod, licet plures sint nobiscum in peritia nautici regiminis abunde instituti, favetur tamen his solis gubernandi potestas, qui ceteris sunt multo tardiores. Sunt enim, qui nondum ad unguem et integre ad navis ascensum sunt expediti, unde pro eisdem assumendis nauta progressum suum aliquamdiu differat necesse est.

15 Profecto fuit hoc privilegium Alsatico cuidam vinitori apprime necessarium. Dum enim nuper patronus noster Alsatiae fines attigisset existimaretque ob patriae ubertatem et abundantiam neminem ex ea vocandum et ad exitum eius celeriter properandum, accidit, ut vinitor ille Alsaticus, qui olim singulis annis plurima 20 egregia vina Swevis, Bavaris, Gallicis et Flammingis venalia transmisisset, tunc vero solo vase uno gravatus passim per agros erravit. Quem quum nonnulli ex civibus nostris, conterranei sui, olfecissent, sperantes, eum pro conditione sua facile assumendum, mox altis ipsi vocibus instant: **Hoscha hoscha, hiehar hiehar, zum** 25 **lichtschiff her.** Respondit vinitor: Heus heus, socii vos incliti, **beita, beita.** Videntes igitur venturum hominem et navigia nostra petentem, unanimiter patronum adeunt, rogant, obsecrant, ut dilata paululum navigatione sua bonus ille vinitor recipiatur. Patronus autem viso hominis illius maximo pondere, ne forte vel legibus 30 nostris contraveniret vel periculum navi adduceret, oneratum vinitorem refutat. Itaque recusatus bonus ille vinitor doluit, se tanto labore pro ingressu navis insudasse, dixitque intra se: 'Non sperassem, id parvi ponderis occasione ab hac societate iuste me posse secludi.' Quid plura? Evolat fama ad omnes navigii nostri cives, 35 praesentit et hoc idem Stephanus, baptisatus iudaeus, assandis cibis occupatus. Murmurat, indignatur, blasphemat, non acceptatum

illum vinitorem fere nullo gravatum, et mox agili pede cursitat ad vinorum (si quod est in navi) repositorium, ubi erant simul sedentes Iodocus Baclar, Malterwin et Gyssibel, qui non rerum suarum aut honoris decrescentia (nunquam enim erant felices neque erunt feliciores) sed sola temporis acerbitate in cellari navis delitescunt. 5
Illis rei seriem ordine narrat. At illi obsecrant Stephanum, ut vinitorem ipse valido suo clamore revocet, nec enim posset quisquam ex eis clariore magisque sonorosa voce tonare, pollicenturque süam (si qua futura esset) indignationem et poenam humeris suis sufferre. Paratus igitur Stephanus morem gerere sociis suis, 10
solito suo more caput et manum erigit, voce magna clamavit: **fiensche campanie fiensche campanie.** Agnovit a longe vinitor clamantem Stephanum et iterum iterumque repetentem: **fiensche campanie fiensche campanie.** Desiderio desideravit hoc pasca comedere et vinum ebibere cum eis; e vestigio curriculum suum 15
evertit, festinat, anhelat, et statim ut navim accessisset: ecce occurrunt quatuor illi ad extremam navis partem, statimque trunco scala et fune pro deponendo vino paratis, imponunt bigae manus, absolvunt benedicuntque vinum, et vinitorem laeto vultu salutant. Clamantibus autem reliquis et accusantibus de illato maximo et 20
impassibili gravamine navis, affirmant quatuor illi iureiurando, nihil se usquam incommodi allaturos, servare et navim et singulos cives indempnes pristinaeque restituere levitati. Unde fide data coacti utrique se vasis fundo applicant, educitque protinus Iodocus ille baccularius quem sub tunica solitus est deferre vasculum, Stephanus can- 25
tharum, Malterwin trium mensurarum amphoram, Gyssibel urceum amarum quatuor. Hinc concordi manu repleta osculantur pocula, potantesque fideliter laborant; inter quos primus Malterwin ab officio suo absolutus Iodocum nostrum baccularium, lenta adhuc manu inter potandum guttura mulcentem, ad exitum hortatur 30
dicens: **Allut allut, min lieff bruer, allut.** Cui Baccler subridens respondit: **oppa Malterwin**, confirmat Gyssibel: **Dat wär min herlin, dat wär min herlin**, sicque sine intermissione coeptum sed et gratum laborem continuantes, brevi spacio praestitae suae fidei et iuramento satisfecerunt. Pervenit enim rumor Argentinae ad stu- 35
bam scriptorum, praetactos quatuor sic vino gravatos. Tandem cogi-

tarunt domini stubae, eos fatue assumpsisse onus, et impossibile proficere posse, pensantes, si quem inter se bene ad huiusmodi dispositum habere possent, hunc in relevamen his quatuor transmitterent. Surrexit quidam gaudens Iacobus nomine, qui se solum 5 brevi tempore medium plaustrum ebibere confitebatur, quem omnium iudicio quantocius navim ascendere fecerunt. Sed, heu, parum aut nihil vini inveniens, inquit: 'Ach, quid hic facturus ero? sperabam me semel satis bibere.' Audientes consocii eum adeo sitibundum, tulerunt amphoram trium mensurarum plenam, 10 quam patrono solliciti fuerant servare; eandem solo uno haustu sine suspiriis sed cum lacrimis evacuare coepit. Quo facto murmurans dixit: 'Nihil mihi cum tali societate, ubi tanta vini copia nequaquam haberi potest, qua quis dentem humefacere posset', et sic, neminem valedicens, discessit.

15 Haec de supposito dixisse iuvat. Quibus tamen pro fundamine iactis, paucissimis quaesito nostro satisfaciemus.

Quod vero plerique aut pars nostrorum maior ex studentium numero derivata sit, facile colligemus, si modo quotidianam et usitatam eorum placuerit animadvertere latinitatem. Revera videbimus 20 neminem ex incolis nostris Romani idiomatis usque adeo ignarum, quin, si vel aliorum, quae nunquam didicit, fuerit oblitus, adhuc saltem noverit quemlibet obviantem latine suscipere atque ita appellare: *Bone vesper, bota nox, Ben dies, bondes, gnodeatis, gnodeatis, proficiis proficiis, gratia domine, inaciis profatiis, initiis proficiis*, in 25 dem federlatinum. Sed qui in navim nostram recepti et ex studentium nostrorum numero procreati sunt (si Lasaro Heraldo fides est adhibenda) hi sunt. Fiunt enim, inquit, ex studentibus optimi balneatores, campanatores, coci, apostatantes monachi, praecones, husones, scabini tortores, fiscales, lictores dimicatores, saltatores, 30 cursores, quaestores, stationarii, ioculatores, histriones, mimi, lenones, cynedi, celimones, portitores, vigiles, custodes, impressores, correctores, librorum venditores, illigatores, illuminatores, pincernae, divinatores, mathematici, heraldi, h. e. hyppenmenner, placzmeiſter, wirfelleger, zinckenzeler, kuppler, hurer, hurenwirtt, huren- 35 jeger, lantzknecht, wurtzknecht, pfaffenknecht, henſelin, winruffer, ſcharwechter, henkerßhund, ſchelmenſchinder, koltreger, ſacktreger,

feumer, wißner, farend schuler et quos videmus hodie errabundos in Heidelberga clamantes: schornsteinfeger schornstein ꝛc. Elſo elſo Sauber sauber sauber.

His meis ineptiis volui, spectabilis domine disputator, vobis et bacculario nostro morem gerere, cupiens eis, si quo delictum est, veniam elargiri.

---

2. MONOPOLIUM PHILOSOPHORUM,
vulgo die Schelmenzunfft.

[Holzschnitt: Fünf Betrunkene liegen auf Tisch, Bänken und Fußboden umher.]

Quaestio accessoria determinata a magistro Bartholomaeo Gribo Argentinensi pro excitando ioco solacioque auditorum, ut moris est.

Quare excellentissimum philosophiae nomen ad sectam quandam pigrorum et sine cura vitam degentium translatum est, vulgo die Schelmenzunft?

Primo, satisfaciendo quaestioni ordinem decrevi instituere, ne quid confuse perperamve agatur. Res utique grandis tractanda est, non unius hominis, non civitatis, non regni, sed communitatis usque adeo dilatatae, ut non arbitretur, sub sole esse gentem, quae non suos habeat, qui iugo huius monopolii sese liberos vaticinari audeant. Visum est igitur, primum originem nostrae sectae sive monopolii declarare et nominis causam, deinde regulas subiungam et leges fructuosissimas, ne deficientibus constitutionibus quilibet per devia imprudens oberret, postremo indulgentias nostrae fraternitatis exponere curabo, ne quempiam fugiat, quin pro suis tandem laboribus ac vigiliis praemia condigna ferat.

Ut igitur quaestioni paululum satisfiat, inprimis memoriae commendandum venit, quod verum nostrae sectae nomen (ut propriis utar vocabulis) est monopolium vel secta securorum vel conchaitarum. Securi enim dicuntur quasi semoti

a cura; non enim curant amplos consequi et complecti honores et multo minus onera, non parere divicias (sed, quomodo usque ad vulgarem evacuationem marsupii consumantur, fideliter laborant), nec mane solliciti ad seria surgere aut sero ante mediae 5 noctis cursum caput ad sompnum inclinare, si modo assit securitatis ille dator Bacchus; ff. *de potatoribus* l. *infunde* §. *repleti sunt omnes*, et C. *de conviviis* l. *caupo* §. *merum*, et ff. *de carnificibus* l. *farcimen* §. *hora prima,* et ut impleantur scripturae: **Vff einem vollen buch stet ein frolich heupt.** Conchaitae rationabiliter 10 vocantur. Velut enim testudo concham gestat instar scuti securitatem praestantis, ita nostri, pro exterminandis curis, procellis vini animam in arte nautica peritam soliti sunt irrorare. Ex tepore etiam solito et ignavia, lasso tardoque incessu merito haec nostra secta conchaitarum appellatur. Item fertur testudo sive concha, 15 quondam ad nuptias invitata, mox egressa domum ad locum solennitatis profectura, cum multis diebus tarda per vias deambulasset, venit anno elapso ad puerperium uxoris, audiensque turbam hominum magnam in aedibus, qui ad puerperium vocati fuerant, putabat se ad nuptiales laeticias hora congrua pervenisse, 20 ascendensque limina domus forte fortuitu deorsum lapsa est, inquiens: **Ich weis wol, ylen bricht mir eins den hals.** Ita nostri, tardi de mensa, tardi de lecto, tepidi ad ecclesiam, ad scolas pigri, conchaitae voluerunt dici. Haec de nominis impositione sufficiant.

25 Nunc ad secundum iter arripio, ponendo regulas, quia humana fragilitas rectum vivendi tramitem facile deserit, unde civium discordiae, monopolii contenciones, rerum et corporum pericula et alia plurima infandaque reipublicae possunt ebullire discrimina. Hinc est, quod (ex officio nobis credito et commisso, ut omnes 30 fratrum exorbitancias et ineptias comprimamus sanctionibus et legibus), si qui a recto limite deviarent, illos dignum duximus revocare ad praedecessorum nostrorum vivendi normas, quas alta mente repositas habeant.

Prima huius collegii regula est: vivere sine regula, mensu- 35 ram bibere sine mensura, modus edendi sine modo; l. *parasitus* ff. *de collegiis illicitis.*

S e c u n d a: sub poena inabilitatis omnes fratres sic vivant, ut semper aliis sint obligati, quodque creditores maiorem habeant anxietatem, quo pacto exolvantur, quam ipsi debitores, qualiter satisfacere creditoribus possint, nec sit facultas creditori debitum exposcere; l. *paucum habemus* C. *omnibus obligamur.* 5

T e r t i a: nemo fratrum sit, qui non plus consumat die dominico, quam tota septimana recuperet, redditus quoque anni sequentis anno praecedenti sint consumpti. Nemo fratrum sub poena anathematis cogitet de emendis censibus perpetuis vel ad vitam, sed potius vendant vina antequam sint recepta in vasa, 10 vendant blada priusquam in horreum sint deducta. Nemo etiam sit, qui non post prandium dormiat, ut de sero expeditius vigilare possit et vacare potibus usque ad horam consuetam, id est duodecimam vel paulo amplius; l. *concubinatus* ff. *nostrum matrimonium,* et special. in tit. *de rugosis lenis* §. *squalidae* vers. *nos* 15 *optamus.*

Q u a r t a: sub libello repudii et declarationis pro beano vel cornuto manifesto strictissime mandamus, ne aliquis nostrae communitatis domus suae curet ornatum, ita ut quilibet pronior sit, decem elargiri denarios pro mensura vini quam obolum pro 20 scoba: desint pulchra mensalia, mappae, ollae, patenae, urnae, scutellae, lavacrum: quae si habeantur, laventur raro nisi per flatum oris aut subducturam tunicae. Idem de vitris et cantharis erit iudicium, quae tamen unusquisque apud se habeat potius quam bibliam, textum Aristotilis aut quaestiones cuiuscunque 25 doctoris, nec vereatur, qui magnificum se censet philosophum, si casu venerit amicus, ipse expers pecuniae, cantharum impignorare et in seriola vel olla vinum afferre; Instit. *de manibus raro lavandis* §. *consuetudo est,* ff. ad legem *familiam* l. *non sit cura,* C. *de his qui notantur infamia* l. *nos sumus,* IX q. 1 cap. *turpe est.* 30

Q u i n t a: prohibemus singulis, sternere lectulos nisi noctis silentio, hoc est circa duodecimam, sic quod prima nocte in medio lecti, altera in latere dextro, tertia in sinistro sompno se committat. Et de benignitate nostrorum privilegiorum cuilibet est indultum, hyemis tempore vestibus non exutis dormire, ne de mane 35 se rursum induere et lectionem hora nona negligere cogatur. Si

tamen se exuat, tantus sit foetor pedum et caligarum spurcicies, ut nemo nisi huius sectae frater aerem pati valeat; C. *unus ex nobis,* de eo *qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.*

Sexta: caveat quilibet, ne in aestate ligna ad futuram hye-
5 mem disponere procuret, sed potius per hyemale tempus ter aut quater recentia et uda ligna emat, quae non nisi stramine ex lecto recepto incendantur. Item de luminibus, ne talentum simul sed tantum pro denario emere cogitet; Instit. *de curtis straminibus* §. *longi generantur pediculi,* C. *de potatoribus* l. *mane* §. *sitio.*

10 Septima: de vestibus hoc placet, ut per eas nostrae sectae sequaces a ceteris hominibus dinoscantur, scilicet, quod colleria birreta capucia in marginibus sudoribus sint contexta, tunicae vero et pallia ab ante cibi et vini defluxu appareant defoedatae. Nemo etiam, nostrae fraternitatis suppositum, sordes et immundicias in
15 ora vestimenti manibus evellere curet, sed potius forcipe abscindat, nec plumas abiiciat nec vestes dirutas resarcire sinat. Et si alicui equitatum ire placuerit, non curet calcar dextri pedis sinistro et viceversa sinistri dextro adaptare, nec caput sellae ad caudam equi iungere, nec curet in eodem sacco sellae appenso panes molles,
20 caseos, nuces, botros, vitra, candelas de sepo, vasa Samia, quae vulgo crusibuli nominantur, calceos et libros per longum iter ducere. *De corpore vitiatis* cap. *equitant,* XI q. 3 cap. *inepte,* Institut. *de ludibriis hominum* §. *hi sunt de domibus leprosorum* cap. *videntur,* et cap. *insulse* et cap. seq.

25 Octava: nostros decet philosophos expertos esse omnis curae atque sollicitudinis, ita ut minime sit eis cura, qualiter incedant, videlicet birreto everso, alba mitra, parvo capucio, dispersis crinibus pennis plenis. Nec etiam refert, si de mane dicant sibi obviantibus '*bonum sero*', vel viceversa sero dicant '*bonum*
30 *mane*', nec series rerum curanda est, quo ordine sitae sint; videlicet nihil interest, si cantharus, libri, caseus, capucia, carta, taxilli, pecten, incaustum, cussini, calcii, femorale, birretum, caligae, faciletum in eadem mensa lecto vel scamno confundantur. Nec sit cura, an domus aperta sit vel clausa, munda sit vel scopibus
35 plena, dummodo solum ianua prae scopibus et immundis pulveribus possit aperiri. Laudandus insuper est, qui hic claves,

cultellos, cartas, alibi vero birretum, capucium vel aliud relinquat. Calceos quoque gestent inferius ruptos, superius clausos. Item libertatem (quod iterum de benignitate est nostrorum statutorum) damus, si quando quisquam in pecunia deficit, capucium, pulvinar, cantharum etc. apud cauponem cocum vel pistorem aut ho- 5 spitem apud Lucium impignorare potest. Et si quis caducam haberet monetam, quae forte repelleretur, illuminare valet; C. *de falsariis* l. *moneta.*

Postremo fratribus has regulas diligenter observantibus indulgentias pro actis laboribus piissime denunciamus, cuius bul- 10 lae tenor est iste:

In nomine domini amen. Dromo Dromonis de Dromonia suffraganeus, securus securorum Bachi, universis nobilibus, regibus, ducibus, comitibus, baronibus, tetrarchis, patriciis, praefectis, praetoribus, tribunis, advocatis, procuratoribus, centurionibus, 15 archidapiferis, cauponibus, militibus, thyronibus, reverendis patribus episcopis, archiepiscopis, praepositis, decanis, cantoribus, scolasticis, monialibus, monachis, thesaurariis, camerariis, archidiaconibus, archipresbiteris, sacerdotibus, dyaconibus, tabellionibus, lenis, lenonibus, ioculatoribus, balneatoribus, parasitis, balneatri- 20 cibus et praecipue famulis monachorum et sacerdotum etiam saecularium, discretis civibus, mechanicis, incurvis et insulsis rusticis, assatoribus et omnibus cocis, in amore vini nobis indissolubiliter coniunctis, quos et operum tarditas nostrae dicioni subiectos esse comprobat, salutem et robur in esu, in potibus et dormitionibus 25 vitam extat quietam et nostris firmiter obedire mandatis. Omnibus et singulis nostra statuta usque at tricesimum annum vel paulopost servantibus inviolabiliter, de vini et crapularum potentia confisi, omnem pecuniam, valitudinem corporis et illaesam famam in eodem Bacho relaxamus, dantes omnibus, quotiescunque sic restaurati 30 fuerint, fletum oculorum, obtusum caput, palpitantes manus, inquietem scapularum matutinam poenitentiam de hesterno excessu. Generaliter autem omnibus iuxta complectionum qualitatem et varietatem liberaliter dispensamus pleuresim, frenesim, litargiam, spasmum, vertiginem, melancoliam, tussim, catarrum, tremorem 35 corporis, ulcera, strumam, apostemata, scabiem, reuma, pallorem,

paralysim, podagram, ciragram, craticam, genugram, etticam et tandem ut sibi ipsi sint ludibrio. Et si quis literas nostras indulgentiarum infringere praesumpserit vel temerario ausu vilipendere, eo facto noverit, se sine omni misericordia a nobili secu-
5 rorum germanitate exclusum et indignationem ebriosi in grammatica bacularii, Ruponis carnificis et balneatoris Oschenbach incursurum, quorum praesentia et auctoritate haec bulla firmata est.

Ortwinus Seltenler Lubrica, Cereris et Bacchi
10 potarius et tabellio, subscripsit.

Virgilius:

Pone merum et talos, pereant qui crastina curant.
Mors, aurem vellens, vivite, ait, venio.

II. Zwei Reden
gehalten in Heidelberg ums Jahr 1500
unter dem Präsidium des Johannes Hilt.

De fide meretricum von **Jacob Hartlieb.**

De fide concubinarum von **Paul Olearius.**

---

1. DE FIDE MERETRICUM IN SUOS AMATORES.

Quaestio minus principalis urbanitatis et facetiae causa in fine quodlibeti Heidelbergensis determinata a magistro Iacobo Hartlieb Landoiensi.

[Holzschnitt: Im Hintergrunde ein aufgesperrter Höllenrachen, der aber mit einer Thüre verschlossen ist; derselbe ist so gezeichnet, daß er zugleich dem Kopfe eines Ungethüms und einem Himmelbette ähnlich scheint. Vor demselben steht eine Concubine, über welcher unter Noten die Worte: Ad infernum. Zur Seite eines sich schlängelnden und mit Steinen bestreuten Weges stehen ein, wie es scheint, bis aufs Hemde entkleideter Bauer, ein Ritter, oder Knappe, mit halb aus der Scheide gezogenem Schwerte, ein Türke mit vorgehaltenem Säbel. Alle drei scheinen den Weg einem Geistlichen in reichem Anzuge versperren zu wollen, der der Concubine nachgeht. Ein Franciscaner steht links, wie es scheint den Geistlichen zum Weitergehen überredend. Im Hintergrunde links steht ein Techniker mit Brille und Winkelmaß, vielleicht der Zeichner oder Holzschneider.]

Hexastichon Ioannis Gallinarii Heidelbergensis.

Tutus amare potes, haec quisquis scripta revolves.
    Est alius Christi quam meretricis amor:
Ille suos donans aeterno munere servat,
    Quaeque, miser, tibi sunt, hic bona cuncta rapit:
Ille hominem reddit divinos noscere cultus, 5
    Exuit hic hominem bestiam et esse facit.

Hexastichon Ioannis Spyser Forhemensis in quaestiones solatiunculas quodlibeti Heidelbergensis.

Nosse volens scortum, lector, miserabile vanum
Ambiguum fallax perpetuumque malum,
Fraudis mille modos, tenues, quo vincimur, hamos,
Vitaque languentis compede vincta iacet:
5 Huc venias, moneo: mirum laetaberis, inquam,
Nec tibi malueris hoc, mihi crede, libro.

Cratho Udenhemius, scholis Sletstatinis praefectus, universis suis auditoribus et alumnis tamquam filiis carissimis S. P. D.

Copiam mihi fecit Iacobus Wimpfelingius, divinarum litterarum
10 licentiatus, integerrimus amicus meus, duarum quaestionum, quae in fine disputationis quodlibetaris in florentissimo Heidelbergensi gymnasio laxandi animi iocique suscitandi causa pridem determinatae fuerunt. Prima explanat fraudes meretriceas, altera flagitiosissimum in clero concubinatum execratur. Eas arbitror vos non infructuose legere posse, tum ne adolescen-
15 tiam vestram, venereo (ut spero) visco nondum captam, procacissima pelliceant scorta, tum ut sacris initiati a sceleratissimo impurissimoque abhorreatis concubinatu. Malo enim vos perpetuo munere laycos quam sacerdotes evadere concubinarios. Nam quisquis ex vobis concubinam est habiturus (quod absit), is mihi videtur simul filio Virginis et filio Veneris velle placere. Is corporis
20 gestu Christum venerabitur, sed blandiore aspectu meretrici adulabitur, iisdem quibus Christum delibabit labiis, meretriculae os contingere et imprimere osculum non verebitur. Is oblationes sibi nomine Christi impensas pro luxurioso petulantis scorti vestitu expendere non erubescet. Is corpore stabit in ara et mente cogitabit, ne quispiam interea focariam suam blando foveat complexu.
25 Is confitebitur ore, se peccasse, sed animo nollet meretriculam suam se non deinceps visurum. Is ita in concubinatum obstinate perseverans in mortali peccato rem divinam faciet, id est missam celebrabit, putando fortassis, Deum irrideri posse; qui, dum hoc errore ducitur, videbitur mihi profecto nonnihil a fide christiana aberrare. Ex quo necessario sequitur, ut non solum ipse cae-
30 cutiens sed et ipsum caecutientem ducere et absolvere pertentans pariter in aeternae damnationis foveam cadant. Is iniquissimus erit iudex, quandoquidem nedum diei, hebdomadae mensisve curriculo, sed totius anni spacio noctesque diesque cohabitans meretrici, celebrabit sacramentumque participabit eucharistiae, laicum autem et solutum, habentem concubinam itidem solutam, semel
35 in anno eucharistiae participationem indigne petentem a communione eiusdem prohibere solet. Qua fronte quibusve verbis, quaeso, ille gentili obstabit poetae Ovidio, quem me vobis nuper interpretante Fastorum sexto occepistis canere:

Sic agitur censura et sic exempla parantur,
40 Cum iudex, alios quod monet, ipse facit.

Concordat in id vulgatum:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Precor propterea Deum misericordissimum, in cuius visceribus vos omnes vivere cupio, vobis fore propitium, ne unquam aliquem ex vobis cogar videre concubinarium, sed pium devotum castumque sacerdotem, qui digne sacrificare 5 conetur ecclesiae, suo apud Deum succurrat interventu, pro salute denique animae meae sedulo fideliterque exoret. Ad quod, quisquis pro mea in se fideli doctrina gratus esse volet, seipsum obligatum intelliget.

Valete ex Sletstatino gymnasio quarto Kalendas Septembris, anno christianae salutis millesimo quingentesimo primo (1501). 10

Sub praestanti magistro Ioanne Hilt Rotwilensi disputatore de quolibet acutissimo.

Fretus vestra humanitate, vigilantissime domine disputator, fretusque benigna supportatione omnium praesentium, qualicunque statu aut honore praefulgeant, decrevi accessoriam quandam quaestiunculam nudiustertius mihi a quodam baccalaureo oblatam evolvere. Primum autem rogo, ut deponant matutina supercilia rigidi 15 Catones, assint, ut audiant benigne, blando vultu, modestis auribus, memores virtutis moralis, quam Graeci eutrapoliam, Latini vero tum urbanitatem tum festivitatem tum comitatem tum iocunditatem dixere, memores annuae huius actus consuetudinis: haec enim hora, hic locus, hic philosophici belli finis ludos, fabulas, 20 moderatos risus, aenigmata, sales, iocunda dicteria, facetias et scommata flagitat, a quibus neque divus Augustinus abhorruit neque suus peculiaris imitator Franciscus Petrarcha. Ad rem ipsam descendamus.

Mulierum amatores mente caecos, Vergilio teste de Didone.

At regina, gravi iamdudum saucia cura, 25
Vulnus alit venis et caeco carpitur igne.

Et de Venere et Baccho.

Multos caecus amor cogit secreta fateri:
Arcanum demens detegit ebrietas.

[Holzschnitt: Eine felsige Gegend; links klettert ein junger Mann einen steilen Pfad hinan, über ihm das Wort Spero; oben, wo sich der Weg vorbeischlängelt, steht ein Muttergottesbild, dicht daneben gähnt ein Abgrund, über welchen ein in der Mitte lückenhafter, geländerloser Steg führt. Ein völlig entkleideter Mann mit verbundenen Augen, sich auf einen in der Mitte durchbrochenen Stab stützend, schreitet über denselben, um zu einer Schönen zu gelangen, die, unbekleidet, mit aufgelöstem Haare, einen Kranz auf dem Haupte, mit einem Fuchsschwanze auf

einer Zither spielt. Unten rechts liegt ein zerschmetterter nackter männlicher Leichnam. Durch den Abgrund hindurch hat man die Aussicht auf eine liebliche Gegend mit einem Gebirgssee.]

Quaestio minus principalis ad me data fuit haec: Cur caeci
amatores mulierum easdem plus colunt venerantur et
amant quam Deum optimum et verum? Patres et domini
praestantissimi, protestor inprimis, me non de his verbis aut di-
5 ctionibus *Deus, amor, mulier* locuturum, licet his verbis usurus
sim, sed de rebus per ea significatis. Quis enim tam hebes et
insanus, cum loquatur de Deo, de eius amore, solum in animo
suo cogitet et omnia referat ad nudas litteras, ad nomen mascu-
lini generis, quale est *Deus,* quale est *amor,* ad secundam et ter-
10 tiam declinationem? sed loquar de ente primo et summo, quo
melius excogitari non potest, de passione animi, quae est amor,
de qua sanctus Thomas in i. ii. q. xxiii per totum, et de muliere
mala, de qua Proverbiorum vii dicitur: *Considero vecordem iuve-
nem, qui pertransit per plateas iuxta angulum, et prope viam domus
15 mulieris graditur in obscuro, advesperascente die in noctis tenebris
et caligine. Et ecce, occurrit illi mulier in ornatu meretriceo, prae-
parata ad decipiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, nec
valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris nunc in plateis,
nunc iuxta angulos insidians etc.* De rebus, inquam, loquar per
20 terminos significatis, non de nudis vocibus, sicut et divus Marsi-
lius fecit, fons origo et autor nostri gymnasii, qui laboravit et nos
in labores eius introivimus. Qualis hic fuerit, cuius vitae, cuius
doctrinae, liquido constare poterit ex oratione funebri in exequiis
eius palam habita ab optimo et praestanti sacrae paginae profes-
25 sore: indubie non more Italico, sed servata germanica et theolo-
gica veritate ac integritate.

Amorem Dei (quia quietus) et mulierum irrequietum longe inter se differre, in id Vergilii:

Saevit amor magnoque curarum fluctuat aestu.

Philippi Beroaldi Cupido.

Ut sine febre dolet, sine morbo languet amator,
  Ut somni vigiles, irrequieta quies,
30 Ut rubet, ut pallet subito mutatque colores,
  Sive pudor vexet pectora sive timor,

Nunc scio, ut infractae voces mutilataque verba,
Ut coram domina cor salit atque tremit,
Ut quam longa gravi suspiria corde trahuntur,
Ut modicus risus, multus amaror inest,
Ut gaudet laeta plorat plorante puella, 5
Induit et vultus vultibus alterius.
Nunc scio, ut infelix dominae vestigia quaerit,
Et reperisse timet mobilitate levis.
Genua labant, quotiens fastosae limen amicae
Transit, et in toto corpore membra tremunt. 10
Nunc scio, quantus amor supra caput instet amantum,
Atque omnem sophiam consiliumque fuget,
Condita quam parvo sint larga absynthia melle,
Lurida vel quantum pocula fellis habent.

Pro quaestionis decisione notatu dignum existimavi, quod 15
longe differunt amor Dei et mulierum. Nam amor Dei quietus, amor vero mulierum inquietus, amor Dei est mundus, amor mulierum est immundus, amor Dei facit filios Dei, amor mulierum facit filios Diaboli, amor Dei facit prudentes, amor mulierum fatuos, amor Dei facit homines angelis similes, amor vero 20
mulierum bestiis irrationalibus pares, immo vero asinos et porcos. Amor Dei compatitur et congaudet de reliquorum amore similiter Deum diligentium; quisquis enim Deum amat, gaudet et laetatur de hoc, quod a ceteris quoque Deus diligatur, et quanto plures, tanto vehementior est amor: per contrarium amans mulierculam 25
moleste fert et contristatur, si alii amare eam tentent, iuxta illud poetae: *Dum canis os rodit, socium, quem diligit, odit.* Qui quidem versus ad litteram de cane exponitur, nihilominus allegorice ad nostrum propositum referri potest. Litteraliter sic: *Dum* wanne, *canis* dat riddichen, *rodit* keuſſt, *os* dat knörichen, *odit* er nydt, 30
socium den compan, *quem diligit* den er lieff hat. Allegorice sic: *Dum* wann, *canis* de narr, *rodit* vnſinnig iſt, *os* uber Adamß ripp, *odit* er haſſet, *socium* ſynen miteſſer, *quem diligit* den das freichin lieb hat. Ratio autem istius esse potest, quia Deus est verum lumen et verus fons vitae; qui autem habet copiam luminis, eam 35
assidentibus similiter favet, et unum lumen multis apud ipsum videntibus sufficere potest, pariformiter idem fons multorum sitim extinguere potest: sed amans mulierem non amat fontem sed

paludem, non amat lucem sed tenebras et revera tenebrosum locum; facit l. *foramen* et l. *caminum rubiginosum* §. *longum latum profundum* C. *de stipulatione inutili.* Per hoc volo quaestioni satisfactum.

Amatorem arduis neglectis ut simeam puerilibus duci et fatuis, in illud Vergilianum:

5 Ach Chorydon, Chorydon, quae te dementia cepit?
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco.

[Holzschnitt. Eine Jungfrau, einen Affen an einer Kette führend, überreicht einem jungen Manne eine Blume. Neben diesem steht ein Esel, der hintenausschlägt und ihm einen Stoß versetzt. Im Hintergrunde eine liebliche Landschaft.]

Quod autem amor mulierum faciat homines fatuos, ostendo 10 ex conditionibus amatorum et ex annalibus, quoniam tales boni cuculi stolidi et obtusi magnificant quae magni aestimanda non sunt. Sicut enim naturalis fatuus plus amat nolam quam florenum, plus paricem quam equum, sic et amatores mulierum parva earum munuscula magnipendunt, sua quoque, quae in dies eisdem 15 praestant, parvifaciunt. Illi namque more officiatorum et computistarum in fine septimanae data et recepta computant, incipientes sub hac forma: Item **hat mir myn liebs kettherlin geben ein krentzlein für** .iii. **heller, dargegen hab ich ir geschenkt ein schleyer für** .ii. **gulden.** Item **schankt sie mir** .ii. **negelin blümlin mit blawer** 20 **syden bewunden, da gab ich ir widerumb ein paternoster für** .xvi. albos **zu stunden, und fragt sie: lieber schatz myner, was bedütet das blow, sie sagt, es bedütet: narr hie, narr da.** Psalmo XXXV: *Narrabo delictum meum in vita mea.*

In studentem Heidelberensem (ut ad vocabulum, littera g imminuta, propter hominis dementiam alludendum sit) amicae callida illusio et Vergilii sub nomine Galli exhortatio.

Galle, quid insanis? inquit: tua cura Lycoris
25 Perque nives alium perque horrida castra secuta est.

Ab amante consultorum confutatio.

Alpinas, ach dura, nives et frigora Rheni
Me sine sola vides? Ach, te ne frigora laedant!
Ach tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!

[Holzschnitt: Ein Student in weitem Gewande schnürt sein Unterkleid mit einem Senkel, den er von der vor ihm stehenden Geliebten erhalten hat; auch sie hält

ein Geschenk in Händen; auf dem Erdreich liegen Schlingen, in deren einer der Student sich bereits verfangen hat.]

Fuit insuper quaedam matrona, quae elegit sibi studentem quendam stolidum, alliciens eundem parvis munusculis, puta mitris, ligis, pectoralibus plicatis, zonis ex serico confectis et si qua sunt similia. At ille, multum gavisus, ex ea quaesivit: 'curnam mihi tantum honorem exhibes, cum tamen de te nihil bene meritus sim nec tibi quicquam impendi?' Respondit amasia, fraudis et doli plena: 'Non vellem revera me aliquid abs te recepisse, nec cupio, sed tantum de tua praesentia et aspectu laetor et exulto.' Ille autem bonus homo finis eius intentum et latentem animum non intellexit. Parvo vero tempore transacto excogitaverat ipsa viam, qua pro parvis maiora esset receptura. Appropinquabat ei gemens et lachrymans, quaesivit ille cuculus: 'Eya, quid mali pateris? in quibus, rogo, deficis?' Respondet: 'O mi socie, ceterorum charissime, te in meis anxietatibus nolo molestare, quoniam, si certior de meo dolore efficereris, pro me plurimum doleres. Esto igitur laetus et desine contristari, quoniam satis est, me moestam et consternatam esse.' At denuo post pusillum temporis abunde flevit. Ipse vero contristatus, tandem his verbis eam alloquitur: 'Angorem animi tui atque defectum scire desidero, et quam breviter abs te enarrari cupio.' At illa obticuit, nihil ei respondens. O vesanum hominem, O stultorum numerum infinitum, de quorum numero tu unus existis, considerastine unquam vulgi illud dicterium communissimum: '**Hund hincken, frowen weynen vnd kremer schweren, daran sol sich niemant keren**'? Ille non minus pristinum repetens verbum collachrymando dixit: 'Eya, mea amasia, quidnam contristaris?' Subiunxit ipsa dicens: '**Ach, ach**, causam doloris mei tibi enarrare est mihi difficile. Est quidam pannicida, qui sine parata pecunia, sub bona solum spe, mihi antehac dederat septem ulnas panni pro facienda tunica, et ulnarum quaelibet floreno constat, terminus autem solutionis mihi ab eodem impositus effluxit et, nisi hodie ei satisfecero, extra civitatem sum depellenda. Id autem mihi inter cetera tantum dolorem affert, quantum verbis vix consequi possum, quod a te separari debeo et tuum deinceps aspectum minime contemplari.' Ad haec

omnia cuculus retulit: 'Eya, sis laeta, sy frölich, myn Greta. Ich
will dich nit lassen in deinen nöten.' Mox itaque Iudaeos ac Chri-
stianos iudaisantes visitare intra se cogitans et suam dilectam
iuvare, impignoravit tunicas, vendidit libros, ut ei succurrere pos-
5 set. Cum seipsum rebus suis ita spoliasset, sedet in cubiculo
inspiciens mitram, pectorale et reliqua parva munera, a sua ama-
sia recepta, ingemiscensque dixit: 'Au, au wee, stest du mich so
thüre? ich gouch, ich narr, was hon ich daran zu steure? ich hab myn
kleider versetzt vnd verkoufft, was thun ich nun? au ich armer när-
10 rischer mann, wie ist es ein ding vmb der Buler san; wol hin, tüfel,
hab dir das halb teil daran.' Post pusillum vero temporis, per-
cepta illius Suevi stultitia, a parentibus suis ab alma universitate
revocatus, ex fatuo tamen amore perligatum pectus habens et
prorsus excaecatum, discedere ab ea nequivit, nisi ei prius ulti-
15 mum vale dixisset. Obtulit se hora, qua una esse poterant. Cum
audit illa profectionem cuculi, iterum in fontem lachrymarum re-
soluta est his verbis: 'Auwee, auwee, hüt vnd nimmerme, dyn ab-
scheyd bricht mir myn hertz in tusent stück, vnd macht mir groß
hertzenleid!' Fatuus collachrymans dixit: 'Ach myn Gred, kan ich
20 es geschicken, so darffest myn nit lang beiten, so will ich dir bringen
der kirchwey, es sy dann, das der tüfel darinnen sy.' Volens ergo
arripere iter versus patriam, veniens ad Rheni fluvium, cogitabat
intra se et verbis seipsum alloquitur: 'O tu miserabilis homo,
estne tibi hodie trans hoc mare magnum et spaciosum navigio
25 transeundum, neque tua delicta tibi hodie revisitanda? Au, wie
ist mir das so ein grosse sach!' Mox sibi in mentem venit: 'Cum
reversus fueris ad eam, O quam magno gaudio afficietur!' Redit,
festinansque serotino tempore venit ad locum foetoribus et ster-
coribus plenissimum, inter duas domus inclusum, in einen schönen
30 palast, mit erckern von cloacken wol besetzt, darin iß allein hoch
trappen eyer vnd winckelwurst. Ascendit iuxta morem pristinum
prope amasiae cubiculum. Fuerant autem fenestrae seratae ac
clausae. Tandem introspiciens per rimas, vidit in cubiculo lumen
cereum ardens aliumque socium illic sedentem et caligas suas
35 exeuntem, iuxta l. *accedat alter* ff. *de concubitu clericorum et mu-
lierum* §. *narrabo*. Mox ipse cum tristicia magna discedens, per-

git ad coquinae foramen circa locum lavandarum scutellarum, **zu gutem tütsch vor das kuchenloch**, vocem parvam et gracilem emittens, qua ab ea dinosci posset. Ipsa vero, eundem audire nolens, dixit: ‘**Vß, hund, das dich der nerrisch ritt schütt.**’ Respondit ipse: ‘**Au, Gretlin syn, ich sich wol, wie es zu gadt in dynem kemmerlin,** 5
du haltest an mir als ein ful armbrost. Wol hin, zum tüfel du hin solst vnd must.’ Ipsa, huiuscemodi percipiens, altissima voce cantavit: ‘**Sichstu sur, da schlag der tüfel zu; noch dann will ich mynen willen thun, vnd solt es mich immer gerüwen.**’ Pariter et ipse in suo recessu canendo inquit: ‘**Ich trüw der lieben nit wol,** 10
ich trüw der lieben nit wol, sye hat mich gantz verlassen, die wil ich kein gelt mer hon.’

Amorem inquietum instabilem et ad omnia passionatum, nunc musicis nunc choreis, quo amicae placeat, in hora mille mutabilitatibus deditum. De quo sub nomine Galli in haec Vergilius:

Iam mihi per rupes videor lucosque sonantes
Ire, libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula, tamquam haec sint nostri medicina laboris, 15
Aut Deus ille malis hominum mitescere discat.

[Holzschnitt: Drei Flötenbläser und ein Zitherspieler nebst zwei, aus einem Notenbuche singenden, kleinen Knaben bringen ein Ständchen. Die Geliebte erscheint am Fenster, unbekleidet, und gießt ein Nachtgeschirr aus.]

Quod amor mulierum faciat hominem inquietum et passionibus plenum perpulchre ostendit Plautus in Mercatore, dicens: *In amore haec insunt, cura, aegritudo, insomnium, aerumna, error, terror, fuga, inepta laeticia, temeritas excors, immodestia, petulantia,* 20
cupiditas, malivolentia, desidia, iniuria, inopia, contumelia, dispendium, multiloquium, pauciloquium, et alludit Hermannus Buschius, dicens:

Hermannus Buschius.

Nescio quid sit amor, qui vos male perdit amantes:
Flamma furens venis, morbus et error ebes, 25
Est levitas, vulnus, dementia, cura, venenum,
Acre malum, languor servitiumque nocens,
Fel, labor, anxietas, infamia, poena, tyrannus,
Arcus et est telum perpetuumque iugum.

Benemerita in tribus hominum generibus iri perditum, quorum foemineum genus haud infimum.

Est, inquam, servicium nocens et infructuosum, quod mulieri
impenditur, secundum illud: *Qui servit puero communi vel mulieri*
servicium perdit. Sententia: **Wer kind tragen sich thut flyssen, dem**
sind sie bald in die schoß schyssen, Vnd wer sich dienstbar macht der
5 **gemein, dem wird syn lon etwan zu klein. Wer bösen wybern die-**
nen thut, ist alls verlorn, sprach Muschgatblut.

In litterarum ignaros, docentes quae non didicerunt. Sola enim scripturarum ars est, ut Hieronymus inquit, quam sibi omnes passim vendicant. Et ut Horatius:

Scribimus indocti doctique poemata passim.

[Holzschnitt: Ein Esel mit einer Brille auf der Nase und einer Ruthe in der rechten Pfote sitzt auf einem Katheder und hat ein aufgeschlagenes Buch vor sich. Vor ihm sitzen im Halbkreise auf der Erde ein Schaf, ein Wolf, eine Katze, eine Gans, eine Ziege, ein paar Hunde, die meisten mit Büchern vor sich.]

Quod amor mulierum faciat hominem bestiam, insensatum,
seipsum non cognoscentem, immo et porcum, ex certa historia
10 possum asseverare. Fuit quidam amori deditus et, licet omnium
litterarum ignarus, sicut Stilpho, scholas tamen regendas assump-
sit, docens pueros per omnia ex Isidoneo germanico. Et primo
in grammatica in capitulo de vocalibus: *a e i o u*, posthac in
grammatica positiva: *panem* **brot**, *caseum* **keß**, *vinum* **wyn**, *offam*
15 **ein supp**, *pira* **ein bier**, *lobium* **ein leib brotz** et pluraliter **ein**
apfelmuß, *obsonogarus* **ein linsenmöchlin**, *slemslirida* **ein hasenreff**,
calceum **ein schuch**, *bracus* **ein bruch**, *liripippius* **ein kappenzipffel**,
vilhelmus **ein strowsack**, *gladium* **ein schwert**, *vilrincus* **ein pantzer**,
inops **heßlich**, *stercus* **ein kussin**, *anus* **ein lecker**, *fornax* **ein ofen**,
20 *fornicator* **ein ofenmacher**, *biszinckus* **ein ofengabel**.

De vocabulis vernacula lingua fantastice exponendis.

Deinde docuit eos exponere orationes: *Ad patrem* **der nontag**.
apud villam **ein bur an der sunnen**, *ante aedes* **ein betler**, *prope*
fenestram **ein schnyderknecht**, *sine labore* **ein pfaffenknecht**, *circa se-*
pem est aequivocum, uno modo est ‘mendicus quaerens pediculos’,
25 alio modo **iß ein kütreck**. *Glis* similiter est aequivocum, iuxta
illud Alexandri: *Glis animal, glis terra tenax, glis lappa vocatur.*
Glis animal significat **ein gebroten spinferklin in eim sack**, *glis terra*
tenax **das iß ein dreck**, *glis lappa vocatur* **ein schuchbletz**.

De coniugatione et regimine fantastico et abusivo.

Docuit insuper eos coniugare verba: *Iuvo as are avi atum* est verbum regens dativum, *supplico as are cui itum* regit accusativum, *frango as are avi atum, liquo as are avi atum, transfero transferas translare translavi translatum, vivo vivi vitzum, voveo voves ere voxi votzum, indulgeo es ere indulgui indulsitum, reperio reperivi.*

De lectionibus chori monstro pennato mirabilioribus.

Docuit eos legere lectiones in choro, et primo in dominica LXX: ‘Posuit Deus stellas in fermento coeli ut lucerent super terram.’ De beata Maria Magdalena: ‘quia turpitudinis suae maculas aspexit lavanda ad fontem misericordiae cucurrit, convivantes non erubuit.’ De nativitate Domini: ‘Et ibant omnes, ut proficerentur singuli in civitatem.’ Et alibi: ‘Nusquam in tota veteris instrumenti serie reperimus angelos, qui tam sedulo apparuere pistoribus cum luce apparuisse.’ De sancto Gregorio: ‘Lentis quidem sed vigibus hic aestuabat febribus.’ De assumptione beatae Mariae virginis: ‘Ab initio et ante saecula creata sum et usque ad futurum saeculum non desinavi.’ De nativitate eiusdem: ‘Phares autem genuit Esrotz’; ponebatur enim ʒ pro m. Et iterum: ‘Aram autem genuit Aminaclab’; erat enim more poetico d protractum.

De expositione collectarum plus iusto monstruosa.

Docuit et eos interpretari collectas, dicens: ‘Advertatis vos, qui vultis ire ad ordos, ita eritis exponere collectas: Quaesumus, omnipotens Deus, ut beatus apostolus tuum pro nobis imploret auxilium, ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. *Quaesumus* die wir findt, *omnipotens Deus* himelscher vater, *ut* vff das, *beatus apostolus* Sant Patt, *imploret* das er bewegn, *pro nobis* vor vns, *tuum auxilium* dyn ellendt, *ut* vff das, *absoluti* so wir bezalt haben, *a nostris reatibus* vnser schuldner, *etiam exuamur* das wir nit vsgezogen werden, *a nostris periculis* von vnsern kleidern.

De modo epistolandi cancellariae asineitatis congruo.

Tradidit quoque eis modum epistolandi et proposuit eis saepe

exemplar a se compositum, quod imitarentur. Inter ceteras autem suas epistolas sic unam eis ad patriam recitavit, quam ipse per se cuidam adolescenti misisse gloriabatur:

Magister Petrus Zepffel, alias Hiltbrant, pro nunc didascalon 5 in ecclesia collegiata sancti Syfridi Argentinensi, discreti necnon scientifico iuvene Allexius de Mentz, amico maximissime adamato Salutem meam appertiam. Delicte socie charissime, ego mitto te scire, quod ego nuper insteti pro uno gubernamine, et ex Dei gratiam factus sum scholirega ecclesiae collegiatae sancti Syfridi 10 Argentinensi, et bene sto, quia habeo multum scholares, parvus et magnus, pauperes cum divitis. Ego vellem, quod tu veneris apud nos, quia posses mecum multum prodesse; ego vellem singulariter respectum apud te habere et vellem te discere casualia et temporalia, et tu posses etiam a me doce facere versos, quia 15 nuperrime incepsi tertiam pars Alexandri, et sum a primum ibi: *distinxere pedes;* discipuli mei iam sciunt fabricare versos, unus heri apportat mihi unum bonum, scilicet: *O intemerata mons super sydera veruere.* Item alter: *Iorius stissus est prespiteri clepores.* Item tertius unum pulchrum epitaphium: *Iohannes est mors, quod* 20 *fecit mihi vae, orate pro sibi, Deus habet suum anima.* Sin autem non es luxuriosus, id est lustig ad versus, sed potius ad prosos et ad dictaminas, ego proposui eis modum dictandi, ex quo statim erunt facere epistolas. Cum hoc occupo me cum eis apud oratoribus et poetis. Lexi enim hucusque Virgilium super Lucam, 25 Ciceronem super Marcum, Quintilianum super Ioannem, Plautum de beata virgine et Horatium de sancta Katherina, et lego eis multum bona circa impedimentas Alexandri; semper super duos versos vigintiquattuor arguitur, in quibus mei discipuli multum crescaverunt. Sic et tu posses in brevi crescare super omnes 30 socius tuus, etiamsi solveret eis collum eorum. Et eris scribere unam pulchram litteram ad avunculum tuum, dominum Ioannes Lappenhuser plebanus in Wytloch, et eris ei persuadere, quod te mittat semel trahere ad unam altam scholam, sicut et ego steti in universitate Getschwellensi. Valete felicis. Datum raptum Argen- 35 tina secundo kalendas Marcialis, Anno Christo mille quadringento nongentesimi nono (1499).

Item legit eis parva naturalia, et inter cetera pronunciavit eis ad pennam: 'Sic advertate, quod vinum est triplicis natura. Primo facit bonum sanguis, secundo facit corda laetia, tertio proiicit rusticus ad merdum.'

Confutatio in ludimagistros litterarum ignaros.

Sed diceres, quare tam indoctum praeceptorem puerorum 5 canonici in suis scholis sustinuerunt? Responsio: quia bonam habuit vocem et pulchros flavosque capillos, et sciebat optime ludere in lutinis potuitque canonicis et suis concubinis facere solacia in domo, in mensa, in camera, ante domum (scilicet hofieren) et praecipue in carnisprivio in hospitum praesentia. Ceterum 10 gratus etiam fuit et dilectus famulabus et concubinis canonicorum, quae quidem concubinae magnam habebant potestatem apud dominos suos et poterant efficaciter intercedere pro aliquo ludimagistro, qui eis placuisset. De tali tantaque concubinarum auctoritate audietis ex collaterali meo. Ille, inquam, rector scholarum, 15 ut habent annales Argentinensium, deditus fuit amori mulierum, ideo etiam indoctus, ut auditum est. Coepit amare puellam, famulam pistoris in Sant Elßbetengassen, quae fuit virgo post quartum; frequenter nocte ad eam ascendit per acervos lignorum, quae ante eius cubiculum copiose fuerant collocata. Pistor, qui et ipse 20 oculos in famulam coniecerat (habuit enim uxorem vetulam et rugosam), considerabat, nescio quos strepitus in domo fieri nocturnos, arripit gladium, ad cameram famulae properat. Rector scholarum, vigilans et metu plenus, non parvipendebat insultus pistoris, per valvam descendit: sequitur pistor, fugit ille, nec 25 prorsus evadere se posse timens, in angulo et in acie domus ad aram, id est ad stabulum porcorum, introivit, inter porcos se collocans. Cum pistor anhelans sequeretur et in diverticulo neminem videret, et ipse quoque ad stabulum accessit, indignabundus quaeritans, quisnam in stabulo latitaret. Respondit fatuus amator: 30 'Es ist niemanß hie dann wir armen sew.' Pistor, arbitrans legionem daemonum (de qua in evangelio Lucae VIII) porcos suos intrasse, mox anxius domum revertitur. Sic autem rector puerorum

ex amatore porcus factus cum porcis in stabulo porcorum porcinam vitam finivit.

Amorem turpem odii, irae, belli, postremo vero, quod omnium gravissimum, homicidii saepius ministrare fomitem, de quo in haec Vergilius:

Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello
Et Lapithas bello perdis, Iacche, gravi.

5 Et ut multa paucis comprehendam: Amor mulierum Deum offendit, angelos contristat, daemones laetificat, hominem excaecat, rationem enervat, visum obnubilat, memoriam debilitat, fantasiam lacerat, marsupium evacuat, infamat, vilem abiectum et inconstantem facit, anxium et sollicitum omni tempore reddit, podagram 10 cyragram arteticam vertiginem generat. Amator mulierum nihil honestum, nihil divinum, nihil spirituale, sapidum aut dulce putat, sola caro, sola libido, sola praesentia scorti ei iocunda est; amator indevotus est, gelidus est, aridus est, frigidus est, orare non potest, studere nequit, sacris intendere negligit, ecclesiam propter 15 Deum non intrat, ut rem scilicet divinam videat aut verbum Dei audiat, immo ingressus templum sermonis tempore omnem populum bis ter quater circuit, si suam videre possit. Sed est idolatra, idolatriam enim committit, quoniam idolum colit, propter idolum ad templa festinat, ingressus oculos circumgirat, si forte 20 idolum suum videat, ingrediens manens et exiens signum ei aliquod praestat; non bene dormit, non bene comedit, comedens non nutritur, sed corpus extenuat, irascitur, litigat, frequens bellum crebra pace concludit et vix uno momento in eodem proposito manet, inconstans, fluctuans, raro laetus, saepe moestus, sem- 25 per varius, uniformis nunquam, meretricum nepharias artes et inenodabiles laqueos non videt, Sirenum blanditias et viscum malae voluntatis non sentit, naufragium suum non percipit. Si quando atrociter minatur, iratus secum cogitat: 'Egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo, mori me malim!, sentiet, qui 30 vir siem!' Haec verba una, me hercle, falsa lachrymula, quam oculos terendo misere vix vi expresserit, restinguet, et se ultro accusabit et dabit ei ultro supplicium. Hoc sciebat Plautina anus in Asinaria, quae tumidum et minacem adolescentem sic alloquitur: *Fixus est hic apud nos animus tuus clavo cupidinis; remigio*

veloque quantum poteris festina et fuge; quam magis te in altum capescis, tam aestus te in portum referet. Amor anxia res est, credula, timida, sollicita, omnia circumspiciens, vana et secura formidans. Amor est foeda servitus et iniusta, morae impatiens. Amans est suspiciosus, est contentiosus, est fantasticus. Cum alii 5 inter prandendum laetantur, nova referunt, scommata tractant, gaudent, delectantur, ipse solus animum habet apud meretriculam, in convivio se esse nescit, cogitat, meditatur, animo revolvit suam amasiam, et arbitratur, eam quoque iam esse sui memorem, quia gaudet gaudio imaginario, cum forsitan ipsa sit in curia plebani, 10 in stabulo equorum, in cella monachi, ubi alium habet cibum manducare. Amator caecum habet iudicium, quoniam infidelem iudicat fidelem, deformem iudicat pulchram, fallacem iudicat veracem, foetidam et olentem iudicat bene redolentem, stercoribus plenam iudicat reliquiis refertam, stercus et lutum iudicat esse margaritam 15 vel balsamum. Iudicat, esse sibi proprium, quod vult esse appellativae qualitatis, id est commune multorum. Amator meretricis hic in terris quodammodo in inferno constitutus est, quoniam est in igne, quia amor ignis est, est in aestu, est in fletu, est in stridore, est in sudore, est in foetore, est in ardore, est in ter- 20 rore, est in tremore, est in timore, est in siti, est in fame, est in luctu, est in poenis, est in tormentis, est in angustiis, est in tenebris, est in suspiriis, est in miseriis, est in dolore sine remedio, est in vinculis sine solutione, est in mala et perversa voluntate, est in aversione Dei, est in Lethe fluvio infernali, quoniam 25 maiestatis divinae et omnium beneficiorum Iesu Christi oblitus est, est in Phlegetonte, quia in ardore irarum et cupiditatum, est in Acheronte, quoniam in tristicia, est in Cocyto, quoniam in luctu et tenebris, est in Styge, quoniam in gurgite odiorum, ita ut cum psalmista vere dicere possit: *Circumdederunt me dolores mortis,* 30 *pericula inferni invenerunt me, tribulationem et dolorem inveni et nomen domini invocavi,* in quarta quinquagena Psalm. XIV. Huiusmodi etiam miseria amatorum et conditiones, quas etiam amasiae suae eis ex cognominibus ascribunt ex ordine litterarum alphabeti, deprehendi potest currendo per universum alphabetum. Quippe 35 amator significatur per omnes litteras, ut verbi gratia:

Attributa, quae meretrices dant suis amatoribus.

A, aff.
B, brymul.
C, clotz.
D, diltapp.
E, eſel.
F, fantaſt, si est suppositum, vel Fritz hanenfeder, si est laicus vel eques.
G, gouch.
H, hutzinger, holtzbock.
I, iuner.
K, kalbßteſch.
L, lap, lelmul, leffelmul, secundum moderniores lebhertz.
M, muni, mertzenkalb, mollenkopff.

N, narr.
O, olpendolp.
P, pfuſer.
Q, quatſack.
R, roraff.
S, ſchelm vel ſchiſſel.
T, tropff.
U, vnckenbunck.
W, wambſt.
X, riſcher.
Y, yemerlich.
Z, zanner vel zipffler.
Et, etto.
Con, contzo.
Titel, titelſuger.
Tur, turſtmich, turnerhengſt.

Haec sunt praedicata, haec attributa, haec sunt merita laudis et honoris, quibus amasiae suos amatores vel absentes vel cominus (hoc est de propinquo) tempore incongruo ad se adventantes exornant atque decorant. Eya, nunc cognoscant amatores, quales diligant, in quas suum amorem corpus et substantiam cum animarum periculo expendant. Haec, optimi et praestantissimi patres, propter nostros adolescentulos et optimos ephebos adduxi, ne innocentem suam adolescentiam, ingenium, memoriam, vires animae, vires corporis, pulchritudinem, ne dona Dei, patrimonium, sudores parentum, nobile tempus, omnem laborem, omnem conatum suum tradant subiiciant offerant dedant meretrici: quae qualis sit, alphabeti litterae indicant secundum ordinem:

Conditiones.

A, avara est meretrix.
B, blasphema, bibula.
C, captiosa, contentiosa.
D, dolosa.

E, effrons.
F, fallax, foetida.
G, garrula.
H, habere parata, hircina.

I, impia, infidelis.
L, luxuriosa, lasciva.
M, mendosa.
N, nugigerula.
O, obstinata.
P, putrida, procax.
Q, querulosa, quaterlochica.
R, rixosa, rancida.
S, squalida, scabiosa, spurcissima.
T, terribilis, truculenta.
V, vinolenta, venenata, venenosa, venefica. 5
X, xpi et omnis honestatis inimica,

a qua nos eripiat, qui nostro amore dignus est in secula seculorum. Amen. 10

Ovidius de fallacia scortorum.

Fallite fallentes, ex magna parte prophanum
Sunt genus, in laqueos, quos posuere, cadant.

Martialis.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis;
Namque est foeminea tutior unda fide.

Ad adolescentes nupturos, ne ducant meretrices, ne seducantur ex *c. de spon. et ma. inter opera,* quoniam sunt plerumque steriles et a sacerdotio impediunt, et vix desuescunt id, quod asuetae sunt.

Tetrastichon.

Ne placeant turpes pietatis imagine taedae. 15
Si bonus es et vis ducere, duc similem.
Quid faciet meretrix? fallit quae casta putatur.
Vina placent aliis, faexne relicta tibi?

Item, ne ducant etiam virgines filias meretricum.

Lac dabit haec scorti, quae lac sugit meretricis.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem 20
Testa diu.

Sapphicum endecasyllabum Ioannis Spyser Forhemensis ad libellum et eiusdem pios lectores.

Molliter ignes Veneris libelle
Solve pugnacis celebrande amaros,
Nescios scorti, celeresque dolos,
Noxia bella.

Callidi quicquid sceleris superbum
Evomit scortum, duce te sacratae
Dabitur vitae: labor omnis illi
Improbus errat:

Et sacri si quos generis ministros
Inficis multa nimiaque sorde,
Motus in cleros animo paterno
Dicere amatos, 25

Forte suspectas tibi fabulosas
Censeas Musas venerande nostras
Clere, traductus fuge suspicari
Fata per alma.

Anxius nullus dolor hicve livor,
Sola sed dulcis animi voluptas,
Laeta quam pubes velut uva Phoebum
Florida poscit.

Te monet scortum rabidum libellus
Strictius querno decorare flabro
In dies: technas adimes superbas,
Inclite lector.

Barbaralexis Samuelis ex monte rutilo in discretos procos.

5 Quicunque velit amare
Wyber oder junckfrowen,
Magno in gaudio stare,
Der soll gar eben schowen,
Ut fungatur prudentia,
10 Er möcht die sach verderben,
Summa foret dementia,
Vnd kündt kein lieb erwerben,
Quae placeret; sed haberet
Gar grosse rüw, by myner trüw.
15 Amans, age caute!

Istis audax in rebus sis,
Ein verzagter gar nüt schafft.
Amoris est maxima vis,
Der narr hat sich lycht verklafft.
20 Prudens dominatur astris,
Vnd kan bulen schöne wyb
In urbibus atque castris.
Merck, bulhertz, was ich dir schryb:
Sequere me, docebo te,
25 Das du durch kunst erwerbest gunst,
Vivas quoque laute.

Sis in verbis moderatus,
Wo du by den wybern bist.
Erit virginibus gratus,
30 Der redt wol zu aller frist.
Nusquam dignus sit amore,
Der wyb vnd junckfrowen schendt,
Virgineo pollens flore
Sich' gar spotlich von im wendt,
35 Et dicet sic: Rach, quis est hic?
Du grobes ründ, hab dir den gründ,
Simul ac pruritum.

Cum gradiaris in via,
Vnd dir ein schön begegent,
Dic: virgo, nunc salve pia,
Vorm klaffer biß gesegent.
Cito recede ab ea,
Das dich der eyfferer nit sehe,
Dic: vale, amica mea,
Das dir nimmer leid beschehe.
Plus deberem, si auderem
Dir sprechen zu, ich hör das du
Unquam noscas ritum.

Tandem ipsa cogitabat,
Was hat er zu sagen mir?
Quis Deorum mihi dabit,
Das er kem herwider schier?
Ut cor experirer eius,
Ob es in lieb werd erzündt.
Facerem profecto peius,
Ich spräch: dir sy als vergündt.
Quodcunque vis, cor meum sis.
Leb du mit mir, als ich mit dir,
Hic in laeticia.

Se tunc bene habebunt res,
So ist die glock gegossen,
Tua corroborata spes:
Ich hab syn oft genossen.
Istum adhuc amo sexum,
Das da krentz vnd schleyer tregt,
Tenet me sibi connexum,
Myn mut hab ich daruff gelegt.
Eas amo, ergo clamo:
Büdt mir dyn mund, ich werd gesund,
Ex amicitia.

Quid, obsecro, iucundius
Wan ein wybsbild wol geschickt?
Amabit haec profundius,
So sie vß iren augen blickt
Siderum instar ex polo;
Sie kan geben hohen mut,
Si vixerit absque dolo,
Ich näm sie für grosses gut.
Vultu laeta, nusquam spreta.
Dich zu ir schmuck, hert an dich truck.
Hinc sume basia.

Pauperculam prudens vita,
Daran ist gar kein gewin:
Divitem venustam cita,
Es hat ein besundern sin;
Nam si conceperit illa, 5
Kan dich vnd das kind erneren,
Misera autem ancilla
Mag sichs hungers kaum erweren.
Scortum cave, vivit prave.
Erwöl ein zart, die dyn wart: 10
Conviva fideli.

Sunt et huic clenodia,
Stond nit wyt von dem hertzen,
Serva haec in custodia,
Mit in ist gut zu schertzen.
Effigies laetabunda,
Die warheit muß ich melden,
Ubera dura ac rotunda,
Die niemandt kan vergelden:
Ista tange, sed nec frange.
Ich sag für war, durch den griff dar
Gaudet amasia.

In secreto rem hanc tene,
Beschicht dir gutz, schwyg still darzu.
Sic vives undique bene,
Vnd behelst üch beide zu ru. 15
Qui vulgaverit amorem,
Ist all der welt ein spot,
Plures ducet in errorem:
Vor dyner zung sy ein knot.
Sis discretus, semper laetus. 20
Volg myner ler, gwinst gut vnd er.
Crede Samueli.

Da in den älteren Ausgaben diese erste Rede der folgenden nachgesetzt ist, so schließt die editio princeps hier, mit der Bemerkung:

Ludovicus Hohenwang Elchingensis capitibus de meretricum fide in sacerdotes et plebeios summarium indidit.

Spätere Ausgaben fügen noch mehr Gedichte hinzu, so z. B. schon die zweite (die aus derselben Officin hervorging, aus welcher die editio princeps) die folgenden, die ich hier aufnehme, da sie sich auf die meretrices, und nicht auf die Pfaffenconcubinen beziehen; nur das carmen ad clerum verräth, daß auch die Rede auf diese bereits voraufgegangen war:

Et ut cognoscas latius,
So nym gar eben war:
Ludimagister fatuus,
Das ist wyt offenbar,
Se multum ratus amari
Von eynem wyblin schon,
Amore volens cremari,
Hieß sye mit im heim gon.

Replentur vini veteris 25
Vnd woren guter ding,
Iocus hic fuit celebris,
Gar schon sy yn vmfieng;
Non immemor rei suae,
Ir schantzen nam sy acht, 30
Gratulando illi suave
Bald yn zum narren macht.

Multos hinc extorquet nummos,
Das ist ir aller art,
Abit et quaerit alios
(Sag im an sicher hart),
5 Nec hunc curabat miserum,
Die wil sye pfennig hat.
Nevit post huic linteolum,
Do in geschriben stat:
W. U. H. I. M. G.
10 Er kuntz vßlegen syn,
Sic speculans poetice
(Das was die gattung syn):
'Omne delesti gaudium,
Weinen Und Hertzenleidt,
15 Grave paris cordolium,
Jamer Mencklich Gespreit.'
Non fuerat autem ita:
W. U. H. 'Wild Und Hert',
Illi prius non audita,
20 I. M. G. 'Ist Mein Gfert'
Sonabat. Mira dicam:
Der gut gesell was ein gauch;
Iudaęo portat tunicam,
Zwo fergen, den mantel auch,
25 Ut eam posset adire
Mit seckl wol beschwert,
Quo placentur eius irae:
Gar bald er zu ir fert.
Ad ipsam ubi venerat,
30 Do was es gar noch nacht,
Illa blandiri non cessat,
Biß sy das gelt rauß bracht.
Mox aperit stultus peram,
Wolt also gelieben sich.
35 Rem refero vobis veram:
Sye sprach: Heb dich an mich.
In cubiculum ducitur,
Hoffet ein guten mut,
Subter lectum absconditur,
40 Er meint es wer als gut.
Ecce, quidam ingrediens
(Selber vff thun er kunt)
Manet cum ipsa dormiens;
Dem was syn hertz verwundt.

Sub lecto iacebat spretus,
Sye hatt ein schererknecht,
Summis qui viribus fretus
Machet ein groß gebrecht.
Pauper sub lecto torquetur,
Dorst reden gantz kein wort.
Ecquis non cruciaretur,
Wo er sölich spil hort?
Mane surgunt hylariter:
Das fröwlin was geschüdt,
Exeunt domum pariter,
Wann es forcht syner hüt.
Interim miser trepidus
Sumpt sich nit lang im huß,
Saltabat prorsus territus
Hinden zum laden vß,
Nec post illam plus audivit,
Sy hett das gelt schon inn;
Ubi talia rescivit,
Auch wolt hye nymmen syn.
Deinde totum extortum
(Thet jm gar eben recht
Fallacissimum hoc scortum)
Verpraßt der schererknecht.
Lusum se cernens, fabulam,
Von dern er wol getrüwt,
Incepit amare quandam,
Vff dye er gentzlich büwt.
Bonorum cum dispendio,
Verschlempt syner muter erb,
Erat durans amatio.
Darnach wardt sye im herb.
Repertus it per tegulas,
Er lieff über dye tach,
Amittitque suas scholas,
Der tüfel des gelach;
Se post caminum abscondit,
Es was im gar kein schertz,
Vota precesque spopondit,
Erschrocken was syn hertz;
Fuga sibi consuluit,
Das was ein fastnachtspyl,
Linquat vestem oportuit,
Ein buler leydt sich vil.

'Amor', dicebat abiens,
'Ist cartüser orden.
Heu mihi, quam fui amens!
Innen byn ichs worden.
Quid autem nunc dicam, Clara?
Es weiß doch yderman,
Quam proba sis avis rara.
Ach gak, ich far darvon.'

O Gretula Katharaque,
Klein lieb machet groß we.
Id stultus sensit utique
Bißher vnd fürbaß me.
Ergo sapienter dixit: 5
Ich wüst gern, wie der hieß,
Tametsi non ita vixit,
Der sich nit nerren ließ.

Eius ego vellem viventis noscere nomen,
Qui non feminea elusus ab arte foret. 10

Felix dives et beatus
Mag wol pfaff Keriß syn.
Meo casu avisatus,
Lat sölchs vnd trinckt gut wyn.
Demum sibi nunciatur,
Wie ein gestorben ist;

Quod deflendo lamentatur:
O tod, wie grimm du bist!
Et quia favit Helicon,
Schrib er mit großem leidt
Hoc elegans Eulogion: 15
Got geb ir ewig fröyd.

E heu terribili grassans mors impia vult V
L ethifera fixit cuspide corda tu A.
S orte cadit parili dux et cum rhetore consu L.
A stra tenes vitae praemia digna tu E. 20
Hic iacet Elizabeth: si benefecit, habet.

Eyn furstin schon im tummenloch
Lydt leyder tod, vnd lebet noch
In mynem hertzen gantz on end,
Syd sye gescheiden ist behend, 25
Alleynig hat verlassen mich
Betrübt vnd ellendt jomerlich,
Empfindet yetz den waren lon.
Trost gibt dem sye hat wol gethon.

Ita vixit ille rector,
Er wolts nit anders han.

Vale semper, bone lector, 30
Lug du vnd stoß dich dran!

Gut gsell ist Ringman.

Carmen ad Clerum.

Disce bone clerice virgines amare,
Quia sciunt dulcia oscula praestare,
Iuventutem floridam tuam conservare,
Pulchram et amabilem prolem procreare.
Heu nobis!

Petri Bolandi Laudenburgii theologi et sacerdotis saecularis
Contra amorem mulierum Distichon:

Quicquid amaverimus mundi te, Christe, relicto,
Dicimur et moechis similes et ovi pereunti.

Contra amorem mulierum et carnis incentiva multa remedia inveniri poterunt in optimo libello de integritate, quem qui carpunt et odiunt caveant
5 ne castitatem Deo gratissimam odio habere videantur.

In der bei M. Hüphuff in Straßburg 1506 gedruckten Ausgabe steht noch das folgende Gedicht:

In dem thon: Es wolt ein meytlin spazieren gan, spazieren vber den brunnen.

Pertransivit clericus
  Durch einen grünen waldt;
Invenit ibi stantem
  Ein seuberliche magt:
10 'Salve puella,
  Got grüeß dich, meydelin,
Dico tibi vere,
  Du must myn bule syn.'
'Nolo, lieber Herre,
15 Ir trybt mit mir den spott.

Sed vultis me amare,
  So halt ich üwer gebot.
Ipsa tulit camisiam,
  Ir beyn die waren wyß:
Fecerunt mirabilia,
  Do nymant nicht vmb weyß.
Vnd do das spil gespilet was,
  Ambo surrexerunt:
Do gieng ein yeglichs synen weg,
  Et nunquam revenerunt.

In späteren Ausgaben treten noch ein lateinisches Gedicht des Mantuanus Baptista und einige deutsche und lateinische Kleinigkeiten hinzu, die seit der Ausgabe von 1557 meistens wieder mit abgedruckt sind, die aber hier aufzunehmen kein Grund vorliegt, um so mehr, da sie meist wenig witzig sind.

---

2. DE FIDE CONCUBINARUM IN SACERDOTES.

Quaestio accessoria causa ioci et urbanitatis in quodlibeto Heidelbergensi determinata a magistro Paulo Oleario Heidelbergensi.

[Holzschnitt wie der schon S. 67 beschriebene.]

Distichon Ioannis Gallinarii Heidelbergensis in quaestiunculam solaciosam Pauli Olearii.

Qui sacris datus es, animum ne crede puellis,
Et scortum fugias, te monet iste liber.

Philippus Beroaldus in Cupidinem.

Panthia me docuit, qui sint in amore dolores,
Affectus, curae, gaudia, damna, doli.
Nunc scio, quas leges, quae iura aut dogmata saevus
Iussit amor: scripsi singula et edidici,
Quae spes quive timor, quod bellum, foedera, quae pax, 5
Induciae fiant atque inimicitiae.
Nunc scio, quanta gerat secum mens proelia amantum,
Quantaque mobilitas dissidiumque premat:
Hoc velit, hoc nolit, cupiat quod spreverat ante,
Fluctuet, ut glauci fluctuat unda sali, 10
Ut mens infelix alieno in corpore vivat,
Utque animus dominae migret in hospitium.
Nunc scio, quam largi sunt fletus, utque medullis
Ossibus et venis fervida flamma latet.
Vita aerumnosa est, mors est infamis amantum. 15
O felix, quisquis talia non pateris.
O felix, Veneri medium qui porrigis unguem
Et rides arcus, spicula, tela, faces.

Vergilius de mulierum mutabilitate et dolo.

Eya age, rumpe moras: varium et mutabile semper
Femina. 20

Et:

Illa dolos dirumque nephas in pectore versat.

Vale, qui ridiculose haec legeris.

Sub egregio magistro Ioanne Hilt Rotwilensi disputatore de quolibet acutissimo.

DE FIDE CONCUBINARUM IN SACERDOTES.

Tanta est vestrae prudentiae apud me auctoritas, humanissime domine quodlibetarie, ut praeceptis et mandatis vestris nullo pacto contravenire queam, quibus, ut quaestionem minus principalem a 25 baccalaureo quodam pridem mihi propositam determinarem, sum interpellatus. Qui cum diuturno temporis cursu huius rei ambiguus extitisset, ex me quaesivit, unde ortum ceperit illud proverbium, quo hodie convenientissime utuntur sacerdotum concubinae: **Pasch, mein lieber herr; gelt du bist mir lieb.** Quamquam prae- 30 fatus baccalaureus hac de re nihil certi determinasset, ego tamen

ei obtemperare volens, aliqua radicitus et brevissime recitare curavi. Quare si minus decens, minus politum ornatumve quippiam in medium allaturus sum, non temeritati et immodestiae sed pristinae huic laudabilissimae consuetudini a plerisque iam pridem
5 observatae, quae iocos et facetias hactenus admisit, impingere et adscribere velitis, rogo oro atque obtestor. Ad principale igitur institutum descendens, hunc mihi finxi quaestionis titulum:

Asininae aures (in id Persii: auriculas asini quis non habet?) an concubinario sacerdoti sint imponendae.

Sacerdos qui vexatur a sua concubina, quam et permittit in domo sua in omnibus rebus et negociis dominari et gubernare,
10 an non merito aures asininae capiti suo retro sint imponendae.

Sacerdotis vocabulo quomodo in his nostris facetiis utendum.

Pro primo nota, quod non loquor de hoc vocabulo *sacerdos*, quod est nomen vel terminus communis generis et tertiae declinationis, sed de re ipsa per hunc terminum significata et de viro sacris initiato, sive sit ruralis plebanus, premissarius aut capella-
15 nus, sive urbanus, canonicus aut vicarius.

Concubinae diffinitio.

Pro secundo concubinam sic diffinio: Concubina est vas omnium vitiorum, mulier sine pudore, bestia sine honore, appetens primos recubitus in mensa, primam sedem in ecclesia, primatum in balneo et in chorea, semper pigra, semper plena, rixosa,
20 criminosa, scabiosa, omnibus odiosa, soli Cerbero chara, in fallaciis tam in dictione quam extra dictionem optime instituta.

Diffinitionis superioris comprobatio.

Diffinitio illa non interimenda sed bona existit, cui bonae diffinitionis conditiones necessario accomodantur: praesens est huiusmodi, ergo est bona. Et si essent huius diffinitionis diffe-
25 rentiae essentiales praeter iam recensitas, volumus easdem in hac particula *vas omnium vitiorum* inclusum iri.

Concubinariorum conditiones esse multiplices.

Tertio animadverto, diversas esse conditiones sacerdotum concubinariorum. Quidam enim habent corda materna, vulgariter

mütterliche hertzer, quidam non habent. Primi quidem in duplici sunt differentia; aliqui enim in sola vita concubinae, alii vero etiam post mortem.

Qui in vita habent molles animos et **mütterliche hertzer**, sunt qui totam rem domesticam, omnem supellectilem, omnes fructus, omnia iumenta, oves boves et vaccas universas, insuper pecora campi, aves et pisces, omnem denique pecuniam et cetera quaeque concubinae suae et eius probatae perspectaeque fidei offerunt, tradunt, credunt, committunt, dicentes: '**Liebe Elß, ich getruw dir lyb vnd gut, dann ich hab dich vaſt lieb; dardurch magſtu myn lieb wol ſpüren, das ich dir alle ding in dyn gewalt gib.**' *Quia vulneratum est cor meum*, Canticorum II et V, *et amore langueo*, I Paralipomena LV, *et nescio, quod tam miser sum, miserabilis, pauper, caecus et nudus*, Apocal. XXXIIII. Cui illa: '**Lieber herr, ich hab üch auch lieb als myn eigen eer vnd myn eigen ſcham** (quia usque adeo cumulatis honoribus et pudicitia est gravata **als ein kreps mit boumwollen, ſie hette dan ein bürd ſtroß in den hindern geſtoſſen, das ir die ehern nach zotten**). Non dubitetis, **ich wil üch getrüw ſyn vnd wil zu üwerm ding lugen baß dan all üwer fründ.** Ecce, videte, quid iam feci. Domus vestra stetit sicut horreum, **als ein ſchür**, quando ad vos primum intravi: Iam est polita et ornata (quia habuit in absentia domini quinque antiquas distortas vetulas, quae purgaverant undique domum, **dreck, kerich, ſpinnweppen ꝛc.** et solum ebiberunt sacerdoti quindecim mensuras vini).' Consequenter illa: 'Ecce, videte, quomodo utensilia vestra, quae prope rubigine periissent, ollae, paterae, urnae, scutellae, lavacrum, cantari, lucibuli etc. (quia cantarum habebat de media mensura et alium de octali et parvum lucibulum, quo utebatur, dum luderet in alea, de quibus C. *manecultellus* l. *paucum habemus*, **wir haben vnß gar verthon** §. *omnibus obligamur*), ecce, inquam, quomodo vibrant, quomodo radiant. **Secht, wie glitzet der alt ſchiſſelkorb, die alten hackmeſſerſtil.** Ecce linteamina vestra quam candida! quae, antequam venirem, erant immunda et respersa materia prima.' (Disposuit autem concubina, ignorante sacerdote, duas lotrices, quibus dedit vina, panes, rapas, pisa, lentes, lardum et farcimina; ff. *de farciminibus* §. *consuetudo est*, et ff. ad l. *fa-*

miliam l. *non sit cura,* C. *de his quae notantur infamia* l. *nos sumus,* alte wyber beschorn sind des tűfels jaghorn). Tali pacto fit coniunctio sacerdotis et famulae, concubinarii et concubinae, inhonesti et inhonestae, in charitate non ficta. O quam caecus amor, Ach wie grosse lieb, O du elender hölderlin. Et si quandoque incidunt inter eos lites et bella, quia forte sacerdos incipit esse de via antiquorum (vulgariter: Er ist der alten welt, das im die hosen lűmlen wie einem jacobsbruder, vnd schlottert im das hirn wie siedent erbsen in einem hafen) et concubina credit, se adhuc esse de via iuniorum, adeo ut de verbis veniatur ad verbera, ipsa post solum afflatum aeris a manu, qua eam fuit percussurus, tamquam acriter percussa incipit querulari et eiulare et sputo vel aqua maxillas circa oculos humectare. Bonus ille sacerdos, der gut frumm erber herr, habens cor matris, ein műterlich hertz, mox se ad latus eius applicat et cum ea plorat, dicens: 'Schwyg, liebe Elß, es soll nimmen geschehen', et abstergit lachrimas ab oculis eius et eas nonnunquam lingua sua sugit vel lingit, dicens se id facere ex poenitentia et ex magna charitate, ita ut verificetur illud Apocalypsis III, dimidiatoque cap.: *Et iam non erit amplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt.* Mox illa: 'Pfaff, neyn, mir nit also. Meinst du, das ich dir das űbersehe? wiltu, das ich by dir blyb, so wűrstu mir in dieser nöchsten meß ein lűndischen rock kouffen — dann ich hör sagen, das tuch werd fast wolfeil — oder ein arleßen mantel, oder ein vierfachen schleyer, nit me dann fűr .vi. gulden.' Et tantum de his, qui in vita materno afficiuntur affectu ad concubinas.

Philippi Beroaldi Dirae in maledicam.

Haec si fecundum concusserit improba pectus,
  Fuderit et virus vipera lethiferum:
Nulla fides nec pax, nulla est concordia nec ius,
  Nullus amor veteres inter amicitias:
Oderit Aeaciden Patroclus, Castora Pollux,
  Ogydiden Tydeus, Thesea Pirithous,
Nec Phitiam Damon, Pyladem nec amabit Orestes,
  Nec Siculi fratres pectora fida gerent:
Fraudum mille modos artes quoque mille nocendi
  Haec habet et linguam vibrat in excidium.

De concubinariis post mortem etiam (quod stultissimum est) in Gredam suam damnabiliter affectis.

Vergilio in haec item dissuadente··

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit,
Maior agit Deus atque opera ad maiora remittit:
Cura tibi divum effigies et templa tueri.

[Holzschnitt: Links schlägt ein Pfaffe seine Concubine mit einem Prügel, rechts hält ein anderer von einer Kanzel herunter der seinigen eine Leichenrede und blättert in einem Buche, wohl dem liber vitae sive animarum; darüber **Elß fenckin.** Im Hintergrunde das Leichengefolge.]

Sunt vero alii, qui etiam in morte maternaliter suis concubinis afficiuntur, de quorum numero fuit quidam ruralis sacerdos, con- 5
secutus famulam, quae olim indulgentiarum gratia visitaverat omnes cellas fratrum mendicantium in Argentina, quae postea fuit hospita mulierum (non virorum) in foro lignorum et equorum (**uff dem holtzmerckt vnd roßmerckt**) in Spira, et in platea vaccarum (**in der kugassen**) in Wormacia, et lotrix trium bursarum in Heidelberga, super quam 10
nullus requievit, nisi centum quadraginta quattuor milia, et in apocalypsi duodecim milia signati, in responsorio omnes gentes, cum psalmo: *Laudate eam omnes gentes*, monachi, clerici et studentes, in Donato septuaginta octo vel paulo plus, et in paenultima eiusdem parte reliqui paene omnes: quae erat **von dem grossen** 15
geschlecht huren vnd buben, cognomine optime merito **ein hörhur** appellata, XXXIII dis. *vidua, super verbo meretrix*, XLV dis. *disciplina.* Illa, inquam, praefati sacerdotis concubina post aliquot annos apud eum est mortua: requiescat in pice! Tunc vox in Rama audita est, ploratus et ululatus, et noluit bonus ille sacerdos 20
consolari, quoniam non est amplius visa super terram Elsa sua dilecta, **die hüpsch gasselstirn**, cuius epitaphium est:

Hoc iacet ingenuae formae Elsa sepulchro.
Grata fuit Elsa manecultello semper,
Quae dum vixit in rufa tunica ixit. 25
In rufa tunica: Deus habet suum anima.
Qui orat pro secum, debes comedere mecum.
Et si suntis mille, omnes oratis pro ille.

Amen.

Pro qualicunque tamen sua consolatione nomen eiusdem 30

mortuae plebanus inscripsit cum lachrymis (quarum notae et vestigia hodie videntur) in librum vitae sive animarum ad eum locum, in quo nomina specialium ecclesiae aut plebanatus benefactorum signata fuerunt, quae quidem singulis dominicis diebus
5 publicare tenebatur, ad populum dicens: '**Helffen mir gedencken aller guttäter myner kirchen, die kurtzlich verscheiden sindt, in sunderheit des erbern manß Peter Weytarß vnd Kuntzman Dabyß, vnd des erbern manß, der kurtzlich verscheiden ist,** piae memoriae, **Steffan Malterwyn, die in irem leben ein tag nit über** xii **maß**
10 **winß mochten trincken. Vnd helffen mir auch gedencken des edlen blutz Ottkern Hertzheüssel, gesessen in der kalbßgassen by dem kettenbrunnen, da die warmen rören louffen, Ror Enderlinß dochterman, gut gesell zum mülstein, hola hola, ferg, hol. Vnd helffen mir auch gedencken vmb gotzwillen der frumen ersamen Elß Fenckin**
15 **cin frumme dirn, ein frumme dirn.**' **Elß Frenckin** exprimere non potuit, quia traulis erat, qui *r* litteram edicere non potest. Et tantum de sacerdotibus, qui maternum affectum gerunt in foedas meretrices in vita et in morte, iuxta illud Esaiae ante principium: *Nunquid oblivisci potest sacerdos concubinam suam, ut non miserea-*
20 *tur scorti uteri sui,* et reliqua.

De concubinariis ordine tertiis, materno amore minime affectis, turpi, ut meruere, meretriceo vocabulo Gredam suam insignientibus.

Nunc de sacerdotibus, qui non habent usque adeo molles et effeminatos animos, scilicet **müterliche hertzer,** qualis fuit quidam canonicus Herbipolensis, cuius concubina balneum intrans audivit ceteras canonicorum famulas ex cognominibus et familiis domino-
25 rum suorum appellari, verbi gratia, cum exiturae essent balnea, clamabat lotrix pedum aut fricatrix posteriorum: **Langent myner frowen von Schwartzenberg ein tuch,** et iterum: **Langent myner frowen von Finsterloch ein tuch,** et rursus: **Langent myner frowen von Weytingen ein tuch;** canonici vero illius, qui de **Grunbach** erat,
30 concubina nominabatur solo nomine suo **Dorothea,** neque adiectum fuit: **myn frow von Grunbach.** Venit domum, flet, lachrymatur, plangit, spretam se dicit, sese a domino nequaquam diligi conqueritur. Is causam investigat. Respondet illa: 'Ecce iam in balneo

omnes meae professionis mulieres, **pfaffenkellerin und thumherrenfrowen erber geschlecht**, a dominorum suorum cognominibus meruerunt appellari: his auribus enim audivi: **Langent myner frowen von Schwartzenberg ein tuch**, **langent myner frowen von Finsterloch ein tuch**, **und: langent myner frowen von Weytingen ein tuch**; ego 5
autem sola, sicut scabellum pedum vestrorum, **Dorothea** vocata sum.' Respondit canonicus, quia cor matris non habebat, **sunder er hatt ein manß hertz**. 'O bestia' — interrupit illa e vestigio, '**O frylich bin ich die best, woltent irs anderst glauben**', prosequitur canonicus 'Ecce bona Dorothea, mater mea adhuc superstes 10
est, quae vulgo **die Grünbechin** appellatur. Si tu in hoc cognomine cum ea concurreres, fieret confusum chaos, aut enim tu pro matre, aut mater pro concubina mea apud ignotos posset diiudicari. Verum, ne te omnino defraudem, restant adhuc alia duo cognomina; sum enim archidiaconus, inde vocor **ein landßrichter**, 15
sum et archipresbyter, inde vocor **ein ertzpriester**: optionem habeas eligendi quod vis e duobus, ut aut apelleris a primo **ein landshur** aut a secundo **ein ertzhur**.' Et tantum de his, qui materno in concubinas non afficiuntur affectu.

De concubinariis cum honestate (ut apud ipsos est) **deck dich Gred** tenentibus.

Praeterea considerandum, quod quidam putant, se habere 20
posse cum honestate concubinas. Dicit enim lex: *Qui habet unam concubinam, caste vivit,* Infortiati in sexta parte Decreti, immo etiam nonnulli secundum canones, praecipue in illis diocesibus, in quibus annuatim data fuerit collecta aut subsidium charitativum, vulgariter **der milchpfennig und kindßzehent**. Num et nobis licebit 25
absque formidine de opposito cohabitare concubinae? Unde nuper, ubi ab episcopo in totum clerum collecta imposita fuisset, suus vicarius, suus officialis, suus **frißgar** (dico fiscalis) circumibant per vicos et plateas, civitates et castella, colligentes **den milchpfenning und kindßzehend**, venerunt ad quendam pluralem in beneficiis, 30
quem arbitrati sunt ad minus duas habere concubinas, ut una infirmitatis aut puerperii tempore aliam relevaret. Ipse autem continuam concubinam secum non habebat, **dann er behalff sich mit der cochery**, hoc est **mit des glöckners dochter**. Fuit autem

idem sacerdos pluralis, quia pastor in Lochem, lector in Leimengern, canonicus in Byßmirsloch, küstuns in Pruchhusen, vicarius in Parsbach, habens reservatum in Finsterloch. Ad quem frißgar (dico fiscalis): 'Da episcopo collectam.' Sacerdos: 'Quare?' Frißgar (dico fiscalis): 'Propter concubinam.' Sacerdos: 'Nullam habeo, neque unquam habui.' Frißgar (dico fiscalis): 'Si non habes, dispone tibi unam, quoniam episcopus vult habere pecuniam et ego etiam partem meam. Cum tot habeas beneficia, posses vel nobilem educare, puta aut unam de Rotzenhusen, aut unam de Weydenberg, vel unam de Fystingen — talis fuit quaedam in Wiltbaden, apportans epulas ad mensam, dicens: 'Benedicite.' Respondit quidam: 'Gnad herr', quia putabat virum esse locutum. At illa: 'Gnad frow weidt-da-hinden.' Tum ille, verso vultu ad ulen: 'Hic os praepone et invenies ein betbrötel' —; quia praedestinatum est hoc ab antiquo, sicut et alia ab aeterno praeordinata sunt, quod scilicet in evangelium translata sunt nomina nobilium meretricum et publicanorum, ut Eygel, ibi Lucae LIX: *Euge serve bone,* et Peter Beltz, Marci XCIII in. *Beelzebub,* et Heckin Ioannis CI ibi. *Haec in Bethania facta sunt,* teste Vergilio: *Itur in antiquam silvam,* et in nocte paschali: wen suchen ir hie, ir beschlepten frowen? ein alte hur mit einem ouge, et mox responsum est 'Non est hic', quoniam concubina subtraxit pecunias, vinum exhausit, frumenta asportari fecit, supellectilia in suam cistam, in alia domo sitam, recondidit; vix ein alten schüsselkorb, hackmesserstil, bonenstrow, spen, sprüwer, eschen, spindlen, spindelkorb, ripß rapß, kesselringk, federwisch, bösem, schafthow, rubschnitz, öpfelschöltz, nußloub, schnier, schniersinck, sider, abprech, eyerschal, spulbletz, federn von den hiennern (sed non von gensen) post se derelinquit, ut in auth. *vetularum informantium et seducentium iuvenculas,* folio lacerato, spacio nigro; ff. zwischen pfingsten vnd eßlingen, da der weg über die weyden hangt §. da das tütsch anfacht col. *post duodecimam et dimidiam* (als Kulman sagt: ich hab anderhalb muter zc.).

Philippi Beroaldi Cupido.

Subdolus impostor mendax truculentus et asper
Blanditiis pollens, fraudibus atque dolis.

Hic domitat pecudes, pisces, insecta ferasque,
Monticulas Faunos silvicolasque Deos.
Hic mortale genus, pharetra succinctus et arcu
Et face, debellat coelicolasque Deos.
Pocula dat dulci circumlita melle, sed intus 5
Fel gerit et largam fundit amariciem.
Principio iuvat et mentes demulcet amantum,
Mox ferus exagitat despoliatque rapax.
Divitias lacerat, cum damno dedecus affert,
Emollit mentes ludificatque ferox. 10
Distrahit, exanimat, cruciat versatque rotatque,
Carnificisque truci fungitur officio.
Improbe amor, quantis mortalia corda fatigas
Curis et quantis, saeve, cupidinibus!

Doctrinae experimentales, ab inveteratis dierum malorum iunioribus meretricibus de damno sacerdotibus inferendo datae, **da die von Noppenheim gen Altzeim sindt kummen** iuvenes informando ad decipiendos et spoliandos sacerdotes. 15

[Holzschnitt: Der Weinkeller des Pfaffen wird von drei alten Frauen geplündert, welche die Concubine herbeiführt.]

Fides concubinae in sacerdotem prima.

Prima doctrina: **Heiß dir den pfaffen vil flachs bestellen,** et facias tibi **spinnen** per alias mulieres, et, cum portant x **streng,** clam reserva novem et da sacerdoti Friburgensi unam pro decima. Tu autem, quae tibi nent, satisfacias de vino, de panibus, de carnibus et farciminibus sacerdotis. Extra. *de muliere petulante* l. *infunde* §. *repletae sunt omnes* (**die huren sindt all vol**), C. *in conviviis* ff. *de farciminibus et mero, collatione quotidiana.* **Trag auch eyer vß in der spület, wann dir der pfaff zu nahe daruff sicht,** ut ff. *de furto* l. *meretrix,* C. *qui alieni iuris sunt* §. **Fryberger** et ff. *de dam. da.* cap. *semper.* 20 25

Fides concubinae in sacerdotem secunda.

Secunda doctrina: Quando sacerdoti pulsatur ad primam et ad vesperas, tunc fingas tibi pulsatum esse ad suam cellam vinariam, **und trinck das du bufellig werdest in der vernunfft; so du dann wilt kochen, so schlest du ein für, das dir die funcken zu dem halß vß stieben.** Reveniente vero sacerdote dic te extasim 30

passam esse, sag du syest .iii. stegen abgefallen, das dir nachbur Cuntz das mul mit einem huffysen vff hab gebrochen.

Fides concubinae in sacerdotem tertia.

Tertia doctrina: Si bonus tuus sacerdos, der gut einfeltig bretspiler, habet famulum .xviii. annorum, pincernam aut cellera-
5 rium, bene sentias cum eodem, ut tibi ollas det vini plenas, quas secrete in coquina sitas habeas, l. *caupo* §. *merum*, et C. *Bacchus* ff. *de potatoribus et potatricibus*. Sind aber die zapffen abgeschlagen, tunc persora mit einem kleinen börlin zwischen den reiffen; si terebello cares, so suff oben vß dem punten mit einem strohalm,
10 oder henck ein subern schleyer zu dem punt in vnd truck es darnach vß in ein kubel, bist darumb kein alt zouberin.

Fides concubinae in sacerdotem quarta.

Quarta doctrina: Habeas archam sive cistam in alia domo, ad quam nonnunquam asportes farcimina, gut leberwürst, bratwürst, et si qua sunt similia, pannos, mensale, mappas, scutellas,
15 cantros, lucibulos (Inst. *de usucap.* §. *furtive*), et facias tibi amicos de mammona iniquitatis, ut, cum sacerdos tuus defecerit, recipiant te in sua conventicula satis inhonesta; ff. *de collegiis illicitis* l. *ebrietas* §. *semper est*, et ut impleantur scripturae: vff einem vollen buch stet ein frölich houpt.

Fides concubinae in sacerdotem quinta.

20 Quinta doctrina: Lug, das du dem pfaffen in das hertz kummest; kumpst im in das hertz, du kumpst im auch in den seckel, da der som in lytt: so nim guldin vnd gelt was du findest. C. *de nonnu. pec.* l. *marsupium*, et ff. *de frigi. et malefi.* im seckel, das die hundt an in seichen.

Fides concubinae in sacerdotem sexta.

25 Sexta doctrina: Hiet dich vor den pfaffen, die mit kleinen pfrüenden groß gelt samlen: die sindt kein fromen mann, vnd haben nit müterliche hertzer, de quorum numero sunt avari et parci sacerdotes, unam recreationem semel habentes, das sindt die fryen schlemmer, die vff einmal ein oetal minß vnd ein hellerweck ver-
30 prassen, dicentes: wir haben syndtlich geprasset, nur vff den benchen, vnd rechtent die fieß zu dem fenster vß, als vol waren wir. Das

findt die fryen pfaffen, die in eim gantzen jar iren nechsten nachbur nit zu einem trunck wynß dürffen laden. Quorum scilicet sacerdotum colleria, birreta, caputia in marginibus sudoribus sunt contexta, tunicae vero et pallia ab ante cibi et vini defluxu apparent defoedata.

Fides concubinae in sacerdotem septima.

Septima et ultima doctrina: Trenn dem pfaffen syn futer vß dem rock, es sy beltz oder arleß, vnd mach dir ein vnderrock daruß; vß synem kappenzipfel mach ein brust, vnd überred den tollen fantasten, er hab in vff der kirchwyhen vergessen. *Ex ebrietate* C. *dignum duximus*, sie waren all vol §. *in dedicatione.* Item zertrenn im syn korrock vnd mach dir ein hempt daruß, et, cum ille incipit succensere, tu mox responde: 'Ematis mihi linum, ich will üch bald ein nüwen haben gespunnen; ich thöt es darumb, das ir ein nuwen korrock überkempt.' O we des korrocks, quod ex vinis sacerdotis per manus aliarum meretricum netur et in septimum usque annum differtur; tanti constabit, ut facilius bonus ille sacerdos emeret ein gantzen schamlot, ein scharlach, ein sammatin schub, ein karmasin oder ein sydin talar.

Additio sive postilla ad praefatas doctrinas.

Wenn du in eins pfaffen huß gast, ee du on schaden daruß gangest, so mach die schuch vnden naß vnd trag zum minsten eschen an den solen heruß.

Concubinae cum rustico in haec conducto (sacerdote cruciatam agente) crurale convivium, ab ea in id vulgare irriso: Her Andres, gond ir mit dem crütz, ubi plorandum vobis, vnd singent mit.

[Holzschnitt: Rechts führt der Pfaffe, die Kirchenfahne mit dem Kreuz tragend, eine Procession; links plündert die Concubine mit einem jungen Burschen den Keller des Pfaffen.]

Has doctrinas quaedam concubina se bene didicisse putans, cum sacerdos suus in diebus rogationum cum reliquiis, vulgariter mit dem crütʒen, profecturus esset, gavisa de domini sui absentia, vocavit rusticum quendam, quadratum, fortem, potentem et armatum, licet non esset de partibus Suitensium. Mox fidelis illa famula viginti sex ova et dimidium (secundum dictum Kulman in Schrießheim) in pateram butiri plenam incussit et vasculum septem

mensuras vini continens cum dimidio octali, et faciens ipsa magnum haustum cum eructuatione verbi non boni, coelum aspiciens dixit: **Sehe, das heißt geschlabutzt! gelt ich geb dirß, la busen, la busen, so trincken wir uß den krusen, fressen vnd suffen, es ist**
5 **pfaffengut.** Superveniente mox ex insperato sacerdote, ancilla paululum stupefacta: **Ey zerß, herr andreß, ich wont, ir gingent mit dem crutzen.** Ad haec sacerdos iratus dixit: **Wie hur? ich meyn, es sy dir über dyn posteriorum gangen?** At illa: 'Non per Deum, ipse solum voluit accendere lumen in mea gukina.'

Concubinae a sacerdote in alieno deprehensae concubitu in canonicum Wormaciensem et in eius convivas scandalosum responsum.

10 Concordat lex, cuius casus est: doctor quidam, praelatus nobilis, habens hospites in mensa iam residentes et sumpto primo cibo expectabat, secundum a famula depromi et afferri. Cum famula diu differret, impatiens morae praelatus festinavit ad coquinam, apprehenditque quendam adolescentem in foco cum ancilla,
15 ne dicam supra. Cui dixit: **Was ist das? far schon, lieber gesell; schon mir der häfen, dann ich hab gar erber gest dinnen sitzen.** Respondit rasor: **Myn lieber herr, ich hab die füß hie niden;** ff. *de stupro* l. *meretricum* §. *fidelia.*

Concubinae in alieno deprehensae concubitu Alexandrina (nescitur ubi edocta) secundum allegata responsio.

Et alia quaedam, nomine Tharatantera, olim hic habitans in
20 valle frigida, **in dem kalten tal,** postea vero fidelis famula (more solito) premissarii in **Muckenloch** villula, deprehensa est per dominum, quoniam amplexata fuit a plebano benedictionis causa (proficiat eis in aeternum, **laß sie es got an der selen geniessen**). Dominus, postquam vidit, cepit pavere, taedere, contristari, sudare
25 ac contremiscere, acsi febrem tertianam pateretur, et irruit in eum his verbis: **Waß sahest du an, du alter heßlicher tüfel?** Quae mox respondit: 'Hanc olim pulchram veteres dixere figuram, tunc scilicet **ee ich ward ein badermagt, durch all bursen vnd marstel gejagt, vnd in die silberkammer, da die zöm vnd setel in hangen.**'

Concubinae in sacerdotem Spirensem, propter eandem beneficio privatum, condigna derisio, quia **er was brutig an dem buch vnd wolt stetigs über das nest.**

30 Eiusdem generis etiam fuit concubina sacerdotis et plebani

in episcopatu Spirensi, quem saepe exhortabatur Clemens episcopus, ut eam abiiceret. Illo differente, cum quaereretur, quandonam bestiam illam esset expulsurus, respondit: quando coeli movendi sunt et terra. Episcopus, contemptum se videns, per censuras compellere, et cum sacerdotem quaesivit nec profuit monitio 5
neque citatio neque aggravatio neque reaggravatio neque suspensio neque interdictum, tandem ad privationem processum est. Confert episcopus beneficium sacerdoti bono, qui non in scortis sed in libris delectabatur, mane legebat psalmos et rem divinam devote faciebat, post meridiem lectitabat Franciscum Petrarcham de vita 10
solitaria, Decretum, historias bibliae, omelias doctorum; nonnunquam etiam pro voluptate et nihilominus pro utilitate sua Vergilium in Georgicis tractantem de cultu agrorum, de vinetis et vineis, de cultu pecorum et de apibus; oblectabat se quoque in Cathone et Varrone de re rustica, in Palladio de agricultura et in 15
Ioanne Gerson de coelibatu et in aliis devotis et utilibus opusculis, in Lucio Columella, in Petro de Crescentiis et in oratoribus atque poetis, praecipue Christianis, quos neque divus Hieronymus neque sapientissimus Augustinus sprevit aut despexit. Ille inquam sacerdos cum ad locum beneficii res suas transtulisset, alter 20
privatus ad Athesim se parat, vulgariter vff die Etsch, res suas colligens in unam sarcinam, vulgariter in ein punt vnd reff (fuerat enim antiquus bachans), cum iam accinctus esset itineri, accersivit famulam, quam non dubitabat secum abituram. At illa 'Patzscha, pfaff' (modestis gestibus, ut mos est meretricum, die zungen herusz- 25
gestreckt, eselsoren hinden vff gesetzt vnd ein schnatter daran geschlagen) 'patzscha, pfaff, do du ein pfrund hatest, da wasz ich gern by dir; ich sech dich nimmen an.' Tum ille: 'Wauffen, wauffen!' suevice, 'Morden io, morden io!' Rhenensium voce, et 'Ceter, ceter!' Erfordiensium ydiomate, '*heu me miserum!*' Psalmo cc, '*Vae* 30
vae vae!' Apocalypsis LXXX. Ipsa autem nihil omnino miserta miserrimi sacerdotis, sed sicut tigris, lamia, lena, ursa, lupa, cocodrillus inexorabilis, facto sono cum digitis denudata ostendit ei posteriora, his verbis 'Griesz mir den alten affen zu Heidelberg, wann du dar kumpst.' Sciebat enim ipsa alia multa refugia et 35
diverticula, quia 'mus miser est antro qui solum clauditur uno'

(sententia: es wirt keine vmb einß manß willen zu einer huren). Ipsa enim fuit nota familiariterque coniuncta plebano in Mucken-sturm, premissario in Minfelt et capellano in Kammerlechnuß et tribus pastoribus in vallis circumiacentibus multisque stationariis
5 et monachis terminariis, vulgariter den nolbrüdern, in terminis illis caseos, nuces, farcimina lardumque colligentibus.

Conclusio responsalis, sacerdotem concubinarium asininis auribus et ficubus dignum.

Conclusio responsiva: Sacerdos concubinarius, qui permittit concubinam suam dominari (ut tactum est) non solum auribus asini est dignus, sed etiam eius ficubus, vulgariter Eselsfigen,
10 quales Fridericus Barbarossa Mediolanensibus civibus dedit manducandas propter contumeliam imperatrici coniugi suae illatam.

Finis antea dictorum, propter quae haec legenda in medium data sint; nam ut apud comicum est:

Haec quicunque legit, sic puto cautus erit.

Haec sunt, eximie domine quodlibetarie, quae placuit ad minus principalem quaestiunculam adducere propter nostros iuvenes, ut fugiant dolosas meretrices et ut tandem facti sacerdotes ex do-
15 minis non efficiantur servi et captivi, fabula vulgi et mancipia diaboli. Etiam haec recensui propter rempublicam et propter meam privatam utilitatem ad captandam concubinarum benivolentiam, ut, si quando in aedes sacerdotum introiero, ipsis satis indevote legentibus missam, famulae parent mihi pinguem offam et
20 ministrent dulcia pocula poculorum. Amen.

D i x i.

Distichon.

Daemon non potuit clero male fundere plura
Quam quod ei tribuit famulos omni sine cura.

III. Zwei Reden gehalten in Erfurt in den Jahren 1494 und 1515.

Monopolium der Schweinezunft von Johannes Schram.

De generibus ebriosorum et ebrietate vitanda von einem Ungenannten.

---

1. MONOPOLIUM der Schweinezunft.

Quaestio fabulosa recitata per magistrum Iohannem Schram ex Dachaw inclyto in gymnasio Erfordensi sub disputatione quotlibetari, praesidente pro tunc concertationi quotlibeticae venerabili magistro Iohanne Gansz ex Herbsteyn theologiae baccalario. 1494.

[Holzschnitt: Eine Sau und zwei Ferkel stehen vor einem aufgeschlagenen Buche; darüber schwebt ein Band, doch ohne Inschrift.]

Cur Bavarus, largitate fulcitus, cum moniali devota in Suevia, bonis induti ornatibus Rhenensium, hospitati in Thuringia, a monacho fideli copulati in Bohemia, nuptias quoque celebrantes sobrias in Saxonia, volunt in Austria servare castitatem:

Cum tamen fide Westphalica ipsi careant, a glosa pariter 5 Iudaeorum Misnensium abstinentia abstineant, vicinitatem mutuo Wederaviensen tenentes, Franconum devotione Italicoque ieiunio e vita decedentes, pietate Hassonum sepulti, gaudio nequeant pervenire in coelum nisi ut bos per muris foramen:

Correspondenter ad sectam quandam pigrorum sineque cura 10 vitam consumentium, vulgariter dye Sweynezunft, transferri an poterit excellentissimum philosophiae nomen?

[illegible]

[illegible] et solvendam [illegible] posse et persua- [illegible], in quantum potero, de nomine [illegible], mihi cura est determinare. Est

igitur probleuma, uti auditum est, sic mihi propositum et taliter qualiter quasi thema sermonis introductum. Et tantum de illo. — Wem es noth ist, der ruſper ſich.

Secundo facio protestationem, fieri consuetam in scolis mercatorum, ubi vere omne mendacium obnubilatum, veritas quoque manifesta est, teste apostolo ad Romanos XVII: *Dum femina plorat et rusticus ebrius orat et mercator iurat, hiis nullus credere curat:* de mea autem confabulatione penitus nullum dubium sit, quin veritatem prae se ferat, cum ipsum propositio sit et non falsa, ergo vera, tenet consequentia in Darii.

Hac habita protestatione assumo pro me dictum venerabilis Bedae, presbyteri, cuius dogmatizat sententia decimo Ethicorum: *Delectatio perficit operationem sicut pulchritudo iuventutem; sagax enim veterum prudentia quoddam invenit remedium, quo lascivum ingenium pio dolo caperetur, dum sub voluptatis yconio delicata delitesceret Minerva,* Hieremiae XI. Et scribitur in veteri testamento de quatuor formis verborum: *Quae veteres sociis* etc. Tantae enim virtutis fabulae sunt, ut earum contextu indocti delectentur, sicut de Ruperto, regis Cecioli filio, legimus, qui tantae fuerat obtusitatis, ut fere omnes amici de eo desperassent; sed paedagogus eius sollers Esopi fabulas obtulit ei legendas, quibus in tam grande sciendi desiderium tractus fuit, ut brevi non modo domesticas artes verum ad sacra theologiae penetralia mira perspicuitate convolavit, ut de eo testatur magister sententiarum dist. 13. 6ti libri: *Ipse fuit doctissimus,* inquiens, *poetarum vel optimus plebis.* Diversa itaque morborum experimenta varia nos cogunt remedia invenire, et diversis morbis diversa contingit antidota praeparari, beato Augustino teste in canone *Et beato Paulo* §. *ille vero,* XXII. q. 5 dicentis: *Diversorum generum et non subalternatim positorum diversae sunt species et differenciae.* Hinc michi persuadet gloriosus ille urbis Romae senator Albertus magnus in libro de secretis mulierum, libro 20, prosa 3: *Sed tempus est, haurire te aliquid ac degustare molle et iocundum, quod ad interiora transmissum validioribus haustibus viam fecerit.* Pauca igitur pro nunc rescindam, arismetrica sententia instructus, quinto peri ermenias: *Pauca nunc ponantur praeter sex neutra secundae.* Non ergo michi

si linguae centum essent oraque centum et ferrea vox, omnes quos conspicio viros ad hilaritatem et gaudium convertere possem.

Satisfaciendo igitur quaestioni ordinem decrevi instituere, ne quid confuse perperamve agatur. Res utique grandis tractanda 5 est, non unius hominis tantum, non civitatis, non regni sed communitatis usque adeo dilatatae ut non arbitretur, sub sole esse gentem, quae non suos habeat, qui iugo huius monopolii sese liberos vaticinari audeant, iuxta mentem Iohannis Andreae et XVI. q. quinta: *sunt troffatores* l. *omnes* §. *sunt simul natura posita, ponunt* 10 *mutuo tollunt.* Date, precor, ingeniosissimi adolescentes, omnes quotquot estis (cum venia vestra loquar) auxilium hodie michi. Dabitur autem id merito, quia, non modo degeneris et privati hominis verum tocius et magnae communitatis partes acturus, sarcinam assumpsi viro etiam robustissimo haud facile sufferendam. 15 Illatum est enim humeris meis hodierna die, ut recentem hanc sectam (cui Schweynczunft nomen est), non quidem velut magister aut patronus regerem, sed modo praeconis, quid prae se ferat, quos admittat quibusve privilegiis tueatur, publice paternitatibus vestris aperiam, autoritate Alexandri in prima sua parte de nomi- 20 nibus heteroclitis: *Illud quod regitur et rector idem tibi signat.*

Visum est, nunc primum originem nostrae sectae sive monopolii declarare et nominis causam; deinde regulas subiungam cum allegationibus et legibus fructuosissimis, ne deficientibus constitutionibus quilibet per devia imprudens oberret; postremo in- 25 dulgentias nostrae fraternitatis exponere curabo, ne quempiam fugiat, quin pro suis tandem laboribus ac vigiliis praemia condigna ferat.

Nostrae sectae nomen verum, ut propriis utar vocabulis, est monopolium vel secta securorum. Securi enim di- 30 cuntur quasi semoti a cura. Non enim curant amplos consequi et complecti honores et multo minus onera, non parere divitias (sed, quomodo usque ad vulgarem evacuationem marsupii consumantur, fideliter laborant), nec mane solliciti ad seria surgere, aut sero ante mediae noctis cursum caput ad sompnum inclinare, 35 si modo assit securitatis ille dator Bacchus; ff. *de potatoribus* l. *infunde* §. *repleti sunt omnes,* et C. *de conviviis* l. *caupo* §. *me-*

rum, et ff. *de carnificibus vel farcimen* §. *hora prima.* Et ut impleantur scripturae: vff eynem vollen buche ftedt eyn frolich heubet.

Dicitur et secta nostra variorum. Non enim uno dumtaxat contentus est gubernator noster regis imperio, sed et omnia, quae in probleumate commemoravimus, regna circuit et plura alia. Est 5 enim gubernator natione Bavarus, nomine Swynkuncius, in Thuringia hospitatus, quod pro vero significato valet i. baptizatus; solent enim in Thuringia porci nominari Kunczichen, kunczichen, quod diminutivum est a Kuncius, et derivatum a swyn et kuncius. Qui Swynkuncius cum totum mundum perambulasset, ut est mens 10 firma Arestotilis in de iuventute et senectute libro 30: *Circuit et totum fricat Swynkuncius orbem, Qualis sit vicii regio quaeque docet,* Sweviam i. Swynviam petere statuit, quod nomen Swynvia, a swynfuesz ortum habens, facit, ut ipsis quatuor pedes porci attribuam. Venit ibidem ad devotam monialem, quae Hymmelhuer 15 nuncupabatur, de qua scribunt scriptores circa primam partem Alexandri, quam Ulmae compositam dicunt (et habet C. *de vi et viar.* quinta q. XXVII: *sed quia per sexum mulierum sive virorum noscuntur propria,* et l. fi. ff. *de coniugatione verborum: 'Rectis, as, es, a'*), quod contigit in monasterio monialium in Swevia, non 20 remote a Tauerstedt, quendam clericum inventum fuisse cum una. Ubi ad cameram vel cellam illius mulieris multae aliae convenerunt ad videndum spectaculum. Quod audiens una alia, in cuius lecto adhuc quidem alter clericus, quia mane erat, iacuerat (erant enim hii duo, de quibus dicitur Iob 13 *Ambo duo clerici faciunt* 25 nunnychen *sibi dari*): illa nunc festinans videndi cupiditate, credens se cooperire caput suum panno consueto, arrepta bracca clerici secum dormientis, caput suum cum ea cooperuit et sic ad locum spectaculi vel lamenti pervenit, conans cum aliis plangere infortunium sociae, acsi nichil ipsa de simili sciret. Quam bracam 30 superpositam capiti una perspiciens clamavit: Ey kotzen czech, was habet ir vff das heubet geleyt? Altera, reliquias de corpore cuiusdam clerici esse, dixit, quae capiti superpositae absolutionem omnium peccatorum inducunt. Audito vero tali, quasi omnes moniales huiusmodi pannulo tectae decetero matutinas intrantes 35 ad consuetudinem, quae altera natura est (genes. 30 ca. 30 de

generatione et quinto coeli), induxerunt. Hoc idem monasterium adhuc in Suevia est, de quo commune proverbium est: *Illa efficitur monialis eo in monasterio, ubi in aciebus spondarum braccae pendere solent.* Volens de regula et ordine earundem monialium
5 legere, videat Io. An. et Panor. super ps. XXIX: *Ordo vel margo, cardo cum turbine virgo.* Venit insuper praefatus Swynkuncius ad Bohemiam, ubi a fideli monacho praedictae moniali copulatus fuit his verbis: *Nempsi gehufna Schessenpitz deym mi messe dempsi pempsi budasabith,* i. e. *vir uxorque thoro sunt iuncti mente re-*
10 *mota*; quarta q. 4ta *per totum.* — Post hoc cogitaverat de nupciis celebrandis et ad Saxoniam perrexit, ubi paucis nupciae expediuntur pecuniis; ibidem enim comedunt et non parum bibunt, Isidoro decimo ethimologiarum, capitulo quintodecimo, teste: *Hoc epulum comedis, poteris coniungere vinum.* Et habetur alibi per
15 prophetam Danielem vicesimo primo libro Euclidis propositione c. §. LXVI: *De sero summe satum poteris tunc ire troffatum.* Et, ut paucis expediam: bibunt enim sine mensura, dicentes: **Al uth al uth, myn leyfe broder, al uth.** Et ultra: **Dat were myn leve stalbroderken!** Quibus mamillulas porci attribuo, quasi semper inde
20 bibentes, et non immerito; anima enim eorum, quia spiritus est in sicco, habitare nequit. Est enim argumentum pro Normanis, Anglicis, Polonis, qui fortiter bibunt, ne anima habitet in sicco, 32 q. 2 c. *Moyses tradidit.* — Cogitantes ipsi postea, quod vix possent nunquam sobrii servare castitatem, visitarunt
25 Australes, ubi tanta viget castitas, quod si aliquis nocte calceos in diversos angulos domus posuerit, mane surgens unum super alium iacere invenit. Recte igitur de eorum castitate sensit Iustinianus imperator, Decretalium septimo: *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.* Et hoc idem Alexander in suppositio-
30 num libro sentit. — Postea cis Rhenum profectus, itinere gravatus timoreque pulsus (solent enim Magunciae singulis annis tempore Martini porcum integrum decoquere), timens noster Swynkuncius mortem affuturam, equum bonum emit, de quo in Remigio: *Frenum detur equo, equum cum freno teneto.* Ubi linguae
35 Renensium inhaerens didicit: **Ich kauft eyn pert om eyn punt penningh, das viel mir in die pitz.** — In Westphaliam denique

cum venisset, advertens eorundem fidelitatem, statim exivit; eos namque invidiosos, ut sunt, notaverat, quibus die borsten an der suw attribuo. Illis enim porcus, ipsi sua invidia cunctos deprimere student, ut notat Bartolus C. *de asinis pro feris non habendis.* A Iudaeorum gloza pro tunc abstinebat, qui dicunt: *Schema* 5 *elay Iahaqob ve Israhel me quorai anibii ani rischon adonay cippahni* etc. Et ad Wederaviam veniens volens etiam, quomodo vicini debeant vivere, addiscere, studuit advenis bursas evacuare, res quoque aliunde amissas colligere et congregare, quibus caudam porci assimilo. Porcus enim caudam semper huc et illuc movet, 10 muscas fugando. Sic et ipsi quottidie cogitant de dampno aliorum, eos depauperando, ut prae se habet speculator super Decret. C. *fures sunt,* et in q. quinta *Tale genus rapit pnam, sic eos dicito nequam.* Perrexit dehinc ad Franconiam, ubi devote vixerat, semper iurando, nunquam templum Dei visitando, ut ipsi faciunt; 15 quare potero competenter ipsis rostrum pro una eius proprietate adiungere, fodiendo enim terram nunquam vel raro quiescit. Sic Francones, alios redarguere seipsos in secta porci non scientes, semper conati sunt; l. *filius* ff. *Pilati,* et Aristotiles xv metaphysicae: *Franconem notare decet, si nullum regula fallit.* Eorum etiam 20 Franconum et Italorum devotioni tandem noster Swynkuncius et ieiunio insistebat, quod veniens in Hassiam moriebatur et sepultus fuit, et privabat omnes Hassones, quod pro praesenti tempore nichil vel parum pingwedinis et suavitatis habent eorum fercula, teste Alexandro: *Absque sed* (i. *pinguedine*) *cibus bonus,* 25 *sine, vix domino apponetur.* Hii enim delectabiliter secundum regulam Epicuriorum vivere visi sunt. Nam fercula eorum mercimoniis, quae sibi in Sperwynkel emunt, reficiunt. Capiunt primo centum sextercia balsami von eynem geyskopf, quadraginta plaustra de aquafort. destillata durch eynen filczhuth, tria pondo olei petrolei 30 von Lamperten vß dem krutgarten, mille libras specierum vß der kokelbüchsen, triginta dragmas aruinae von eynem panczer, nonnulla etiam talenta argenti mortui, et si qua sunt similia. Et tantum de monopolii nostri inventione.


Venio deinde ad clarissimos nostrae sectae possessores. 35 Quos licet dinumerare difficillimum sit et fere impossibile, spera-

mus tamen, tanto numero et ordine, nonnullos ex eis posse complecti, ut et reliquos, si qui connumerandi sunt, facile intelligamus. Pro quo benefacit haec unica consideratio, ut animadvertamus eos, qui diffamati sunt apud nos quasi divites essent nec sunt tamen, sed pocius quasi nichil habentes et parum possidentes, inter quos occurrunt primi, et huius forsitan sectae patroni, saeculares et spirituales principes, titulo quidem summi, sed re possessione et subiectione in suo genere infimi, quales sunt reges ad monopolium nostrum Maximiliano longe accommodatiores, quales sunt rex Muscaviae, rex Graeciae, rex Moraviae, Dalmaciae, Croaciae, Macedoniae, rex Thessaliae, Apuliae, Campaniae, Aethiopiae, Hiberniae et ipsa regina nostra Sliffandriae, cum quibus morantur comites von kleynen Egipten, comites vom Kalenberge, comites vom Swartzenloche, *Et, bene si numeres,* Ilferßgehofen *addere debes.* De equitibus vero auratis, quos milites dicimus, nomina mihi cognita non invenio, nec de ceteris equitibus dubium magnum est, pro quibus satisfacit vulgatum hoc proverbium: Alde huren gude ruffygern, alt koch gut breter, alt ruter gut vorreter. Sequuntur illos patres nostri spirituales, in quorum ordine locum obtinent supremum episcopi Romani et terrae nostrae suffraganei, qui pro solo titulo episcopatus consequendo in urbe Romana longa tempora consumunt, quaerentes, quam et nesciunt et non inveniunt, ad quam tamen sunt dyocesim instituti. Illico adveniunt post illos plerique abbates infulati, dicerem melius inflati, et cum eis monachi non reformati, quibus omnibus haec una cura est, quomodo abbaciae et conventus sui redditus huic sectae nostrae incorporentur; sacerdotes titulares non beneficiatos, quamplures capellanos, divinorum adiutores, sub quorum etiam habitu clanculo latere comperimus quosdam et quidem in magna copia insignium ecclesiarum praelatos et canonicos, qui suarum praebendarum fructus adhuc sequenti anno colligendos iamdudum consumpserunt. Proximi assistunt illis monetarii, qui non sibi sed reliquis monetam fabricant, cupidinarii, qui res proprias cum alienis emptioni exponunt, nec ab illis remoti sunt sartores et calciarii, quos verius suppeciarios dicerem, vulgo hosenlepper vnd scholepper nominatos, quibus hoc officii

datum est, ut illi quidem caligas, isti vero calceos propter festinanciam intrancium dirutos reforment. Sed ubi sunt medici nostri (de cirurgicis loquor), ubi scilicet specierum venditores, ubi dencium evulsores, ubi herbarum et radicum fossores, qui pro cuiuslibet morbi medicamine herbas se habere 5 saluberrimas profitentur, vendentes uni, si voluerit 'fecana cageti fedones hebare gedaco Dindima pileus ysmara gargarus associamus Ignis grando barba cameron datisi bocardo ferison.' Illi etiam procul dubio collegerunt ad se poetas, ut erat ille Samuel noster de monte rutilo, et Petrus Cutis, qui vobis mittit verba salutis. 10 Sed et theologi quoque, astronomi, geomantici, chiromantici, nigromantici, arismetrici, computistae, incantatores, musici et totum docentes quadrivium, qui omnes sponte sectae nostrae sese credidere, suntque ultro acceptandi infrascripti, si digni fuerint, puta principes, qui omnibus theloneis renunciaverunt, episcopi, 15 qui solo spiramine sancto electi sunt, canonicus, qui oblatum episcopatum renuit, iudex, qui dona ultro praesentata contempserit, monachi, quos intrasse religionem nunquam poenituit, plebani, qui ab offertoriis cessare praeceperunt, sacerdotes, qui solo Dei amore beneficium acceptarunt, studens, qui nec 20 aucam anetamve furatus est, molitor, qui farinam nunquam subtraxit, textor, qui fila nulla retinuit, sartor, qui minimas panni reliquias restituit, apothecarius, qui nunquam decepit, vector, qui non maledixit, lusor, qui non blasphemavit, Iudaeus, qui cum Christiano sine dolo et fara vixit. Hii enim 25 omnes iugiter fideliterque, ut assumantur, attemptant. Debent ergo, ut praecipit der schelkynus (libro regum 30 dicens: *Schellikus in schelkis schelkorum schelkibus istis*), si digni sunt, acceptari. De beanis autem, an ad monopolium nostrum recipiendi sint, id sentio: debent ergo priusquam recipiantur a beanio mundari; sed 30 quomodo mundentur satis claret ex Alexandri tertia parte, distinctione 23 ff. *de animalibus cornutis* l. *bestia* vers. *foetore plena: Aequor unda fretum quod turpe sonat facit edi, Et lutum femineum; haec simul prosunt beano, Mel latex aqua vinum* (*videtur bonum latinum*) *Quod placet mundanti bibendum atque iuvanti.* Pocula gantz 35 volle bibentes das sie werden tolle, quia non sufficit sola depositio,

sed ut bono vino (ceterum bona cerevisia) sociorum fiat refectio;
quod sic probo. Nam si sufficeret sola depositio, falsa esset ap-
positionis diffinitio, quae dicitur: ***Appositio est duorum substanti-
vorum*** (scilicet vini et cerevisiae) ***similium casuum*** (i. vinum in
5 vitrum, cerevisia in craterem) ***ad eandem rem spectantium*** (i. ven-
trem) ***sic se habentium, quod magis commune*** (i. vinum) ***praecedat,
et minus commune*** (cerevisia) ***sequatur, immediata oris associatio.***
Hinc est, quod antequam beani accipiantur deponi debent, ut
studentes fiant.

10 Quod vero plerique aut pars nostrorum maior ex stu-
dentum numero derivatur, sic facile colligemus, si modo quo-
tidianam et usitatam eorum placuerit animadvertere latinitatem.
Revera videbimus, neminem ex incolis nostris Romani ydeomatis
usque adeo ignarum, quin, si vel aliorum, quae nunquam didicit,
15 fuerit oblitus, adhuc saltem noverit quemlibet obviantem latine
suscipere atque ita compellare: ***Bone vesper, bota nox, Bendies,
bondes, gnodeatis gnodeatis, proficiis proficiis, gratia domine, ina-
ciis profaciis, iniciis proficiis,*** **in deme federlatinum.** Sed qui
in consortium nostrum recepti et ex studentium nostrorum numero
20 procreati sunt, si Iohanni Schram fides adhibenda est, hii sunt:
fiunt enim ex studentibus, inquit, optimi balneatores, campanato-
res, coci, apostatantes monachi, stèrrones, husones, scabini torto-
res, fiscales, lectores, dimicatores, saltatores, cursores, quaestores,
stacionarii, ioculatores, histriones, mimi, lenones, portitores, vigiles,
25 custodes, impressores, correctores, librorum venditores, illigatores,
illuminatores, pincernae, divinatores, suspensores, mathematici,
heraldi, hoc est: **hollenhippenmenner, platzmeyster, wurfelleger,
czinkenczeler, cuppler, hurer, hurnwirt, hurenyeger, lantzknecht, wyrtz-
knecht, pfaffenknecht, henselyn, wynruffer, hymelhentz, scharwechter,
30 hengerßhunt, schelmenschinder, koltreger, sacktreger, seumer, kaßjager,
wurstsameler, farentschuler, creter, wachßdieb, flaskogel, plastertreter,**
et quos videmus hodie errabundos in Erffordia clamantes voce
incognita



Eyn gut byer, aber eyn vol vaß, czu dem kußen in der arßkerbe.

Nunc ad tercium iter arripio, ponendo regulas, quia humana fragilitas rectum vivendi tramitem facile deserit. Ex officio igitur nobis credito et commisso, ut omnes fratrum exorbitancias et ineptias comprimamus sanctionibus et legibus: si qui a recto limite deviarent, illos dignum duximus revocare ad praedecessorum 5 nostrorum vivendi normas, quas alta mente repositas habeant.

Prima huius collegii regula est: vivere sine regula, mensuram bibere sine mensura, modus edendi sine modo; l. *parabsides* ff. *de collegiis illicitis,* et dicit Bonaventura super quintum sentenciarum: *virtutem primam discas abscindere bursam.* 10

Secunda: sub poena inhabilitatis omnes fratres sic vivant, ut semper aliis sint obligati, quodque creditores maiorem habeant anxietatem, quo pacto exsolvantur, quam ipsi debitores, qualiter satisfacere creditoribus possint. Nec sit facultas creditori, debitum exposcere; l. *paucum habemus* C. *omnibus obligamur,* et habetur 15 Extra. ff. *pauper egenus inops vini vel panis egebit.*

Tertia: nemo fratrum sit, qui non plus consumat die dominico, quam tota septimana recuperet; redditus quoque anni sequentis anno praecedenti sint consumpti. Nemo fratrum sub poena anathematis cogitet de emendis censibus perpetuis vel ad 20 vitam, sed pocius vendat vina, antequam sint recepta in vasa, vendat blada, priusquam in horreum sint deducta. Nemo etiam sit, qui non post prandium dormiat, ut de sero expeditius vigilare possit et vacare potibus usque ad horam consuetam .i. duodecimam, vel paulo amplius; l. *concubinatus* ff. *nostrum matrimonium,* 25 et spec. in ti. *de rugosis lenis* §. *squalide,* vers. *nos optamus.*

Quarta: sub libello repudii strictissime mandamus, ne aliquis nostrae communitatis domus suae curet ornatum, ita ut quilibet pronior sit decem elargiri denarios pro mensura vini quam obulum pro scoba. Desint pulchra mensalia, mappae, ollae, 30 patenae, urnae, scutellae, lavacrum, quae si habeantur laventur raro, nisi per flatum oris aut subducturam tunicae. Idem de vitris et cantharis erit iudicium, quae tamen unusquisque apud se habeat pocius quam bibliam aut primam partem, quaestiones super Benedicite, commentatorem super Magnificat. Nec vereatur, qui magni- 35 ficum se censet philosophum, si casu venerit amicus, ipse expers

pecuniae, cantarum impignorare et in seriola vel olla vinum afferre. Instituta *de manibus raro lavandis* §. *consuetudo est,* ff. ad legem *familiam* l. *non sit cura,* C. *de his qui notantur infamia* l. *nos sumus,* IX q. 1 cap. *turpe est.*

5 Quinta: prohibemus singulis sternere lectulos, nisi noctis silentio, hoc est circa duodecimam; sic quod prima nocte in medio lecti, altera in latere dextro, tercia in sinistro sompno se committat. Et de benignitate nostrorum privilegiorum cuilibet est indultum, hiemis tempore vestibus non exutis dormire, ne de 10 mane se rursum induere et lectionem hora nona negligere cogatur. Si tamen se exuat, tantus sit foetor pedum et caligarum spurcicies, ut nemo nisi huius sectae frater aerem pati valeat C. *unus ex nobis* de eo *qui duxit azinum in matrimonium, quem polluit per adulterium.*

15 Sexta: caveat quilibet, ne in aestate ligna ad futuram hiemem disponere procuret, sed pocius per hiemale tempus ter aut quater recencia et uda ligna emat, quae nonnisi stramine ex lecto cepto incendantur. Item de luminibus, ne talentum simul sed tantum pro denario emere cogitet; Instit. *de curtis straminibus* 20 ff. *longi generantur pediculi,* C. *de potatoribus* l. *mane* §. *sitio.*

Septima: de vestibus hoc placet, ut per eas nostrae sectae sequaces a ceteris hominibus dinoscantur, scilicet quod colleria, pirreta, capucia in marginibus sudoribus sint contexta, tunicae vero et pallia ab ante cibi et vini defluxu appareant defoedatae. 25 Nemo etiam, nostrae fraternitatis suppositum, sordes et immundicias in ora vestimenti manibus evellere curet, sed pocius cultello abscindat, nec plumas abiiciat nec vestes dirutas resarcire sinat; et si alicui equitare placuerit, non curet calcar dextri pedis sinistro et viceversa sinistri dextro · adaptare, nec caput sellae ad 30 caudam equi iungere. *De corpore viciati* cap. *equitant,* XI q. 3 cap. *inepte,* Insti. *de ludibriis hominum* §. *hi sunt de domibus leprosorum* cap. *videntur* et cap. *insulse* et sequenti.

Octava: nostros decet philosophos expertos esse omnis curae atque sollicitudinis, ita ut minima sit eius cura, qualiter incedat, 35 videlicet birreto everso, alba mitra, parvo capucio, dispersis crinibus pennis plenis; nec etiam refert, si de mane dicant sibi ob-

viantibus: 'bonum sero' vel viceversa sero dicant: 'bonum mane'; laudandusque est, qui hic claves cultellos chartas, alibi vero pirretum capucium vel aliud relinquat; calceos quoque gestent inferius ruptos, superius clausos. Item libertatem (quae iterum de benignitate est nostrorum statutorum) damus, si quando quisquam in 5 pecunia deficit, capucium pulvinar cantharum etc. apud cauponem cocum vel pistorem aut hospitem inpignorare potest. Et si quis caducam haberet monetam, quae forte repelleretur, illuminare valet; C. *de falsariis* l. *moneta,* et 14 q. 6ta *hii sunt falsarii.*

Viventes secundum has regulas merito confratres praefatae 10 sectae, puta Swynczunft, vocitandi veniunt. Dixi.

Postremum fratribus has regulas diligenter observantibus indulgencias pro actis laboribus piissime denuntiamus, cuius bullae tenor est ille:

In nominus dominus Amen. Dromo Dromonis de Dromonia, 15 Suffranici filius, de quo scribit Porphyrius, securus securorum Bacchi, universis nobilibus regibus ducibus comitibus baronibus tetrarchis patriciis praefectis praetoribus tribunis advocatis procuratoribus centurionibus archidapiferis cauponibus militibus tironibus, reverendis patribus episcopis archiepiscopis praepositis decanis 20 cantoribus scolasticis monialibus monachis thesaurariis camerariis archidiaconibus archipresbyteris sacerdotibus diaconibus tabellionibus lenis lenonibus ioculatoribus balneatoribus parasitis balneatricibus et praecipue famulis monachorum et sacerdotum etiam saecularium, discretis civibus mechanicis incurvis et insulsis rusticis 25 assatoribus et omnibus cocis in amore vini nobis indissolubiliter coniunctis, quos et operum tarditas nostrae dicioni subiectos esse comprobat, salutem et robur in esu et potibus inque dormitionibus vitam extat quietam et nostris firmiter obedire mandatis. Omnibus et singulis, nostra statuta ad tricesimum usque annum 30 vel paulo post servantibus inviolabiliter, et crapularum potentia confisis, omnem pecuniam valetudinem corporis in eodem Baccho relaxamus, dantes omnibus, quotienscunque sic restaurati fuerint, fletum oculorum, obtusum caput, palpitantes manus, inquietem scapularum, matutinam poenitentiam de hesterno excessu, genera- 35 liter autem omnibus iuxta complectionum qualitatem et varietatem

liberaliter dispensamus pleuresim frenesim litargiam spasmum vertiginem melancoliam tussim catarrum tremorem corporis ulcera strumam apostema scabiem reuma pallorem podagram cirogram craticam genugram etticam et tandem ut sibi ipsi sint ludibrio.
5 Et si quis litteras nostras indulgenciarum infringere praesumpserit vel temerario ausu vilipendere, eo facto noverit se sine omni misericordia a nobili securorum germanitate exclusum, et indignationem ebriosi in Erffordia Hymmelheuczen, omnium sanctorum campanatoris, et piscatoris Parchfelt in parrochia sancti Mauritii
10 incursurum, quorum praesencia et auctoritate haec bulla firmata fuerat.

Schotenworffel Seldenleer Erffordensis, cerevisiae potarius et tabellio, subscripsit.

Quae balbutienter recitavi, vobis, domino quodlibetario et
15 matri meae, inclitae facultati artium, morem gerens, si alicui offensiva fuerint, veniam peto; iusta enim petenti nil denegat Dei mater, cui honor laus et gloria in saecula saeculorum. Amen.

---

2. DE GENERIBUS EBRIOSORUM ET EBRIETATE VITANDA.

Quaestio facetiarum et urbanitatis plena, quam pulcherrimis optimorum scriptorum flosculis referta, in conclusione Quodlibeti Erphurdiensis Anno Christi MDXV circa autumnale aequinoctium scolastico more explicata.

[Holzschnitt: Um einen runden Tisch mit allerlei Trinkgefäßen sitzen ein Esel, eine Sau, ein Kalb, ein Schaf, ein Hund, ein Wolf, eine Gans, ein Bär; auf dem Tische hockt ein Affe, der einen Krug umstößt. Auf oder neben den Thieren sind ihre Namen genannt, wobei mehrmals einige Buchstaben verkehrt stehen.]

In facetosam de ebrietate quaestionem litterariae sodalitatis Erphurdianae testimonia.

Eobani Hessi.

Semina mandragorae nascenti consita Baccho
Decoctum faciunt lenius esse merum,

Sic, nisi rugosam genialis gratia frontem
  Temperet, est odium qua ratione trahat.
Sic iucunda gravi Sophiae coniuncta Poesis,
  Sic acidis gustum dulcia mista iuvant.
Hic igitur salibus gravitas variata modestis 5
  Fulget, ut Idaliis compta Minerva rosis.
Quem non ista movet comitante libentia risu,
  Hunc nihil humani cordis habere puto.

Eiusdem.

Risus scommata fabulas iocosque,
Vafre dicta, sales facetiasque, 10
Cum Musis Veneresque Gratiasque
Uno, si placet, aspicis libello,
Humanissime et erudite lector.
Nasum nil moror improbissimorum,
Qui nullum salibus locum relinquunt: 15
Illos vita decet Timoniana,
Nos coelo propiore foederati
Coelo teste iocamur innocenter.

Ioannis Foemilii.

Noscere de Baccho si vis loedoria mille
  Ridiculo breviter connumerata ioco, 20
Hic lege quae pascunt curis suppressa malignis
  Pectora: comperies scommata plena iocis.
Quod facias, quoniam non semper fronte severa
  Crassum tam tetricum ferre decere puto.

Bartholomaei Gotii Threisensis.

Quam noceat tenerae ebrietas viciosa iuventae, 25
  Hic agitur vivis, lector, imaginibus.
Hanc simul ut pestem declinet cum rude doctus:
  Haereat hic scriptis, ille parerga notet.

Euricii Cordi.

Convivas vitulos hircos asinosque suesque
  Prensa vides bruto stringere vina pede: 30
Quid mirare? tuos hic aspicis, heluo, fratres,
  Qui, quoties potas, talis es ipse pecus.
Quandoquidem pressis rationem sensibus aufert
  Aemula Circeis artibus ebrietas,
Quam si bellipotens Germania tolleret hostem, 35
  Clarior hac nusquam natio gente foret.

Christoferi Mancini.

Candide, pace tua, si verum, Corde, fatendum est,
Dispare cum brutis helluo fauce bibit.
Talia dicentem prompta accipit ebrius aure,
Forte putans partes velle iuvare suas.
5 Fallitur, est bruto foedus magis; hoc sibi quantum
Sufficit, ille dato gurgitat absque modo.

Berteri Dami.

Quanta sit ebrietas et quam foedissima pestis,
Una potest vero causa probare modo;
Nam cum multa fluunt titubantes vina per artus,
10 Omnia scire putans nescius ipse sui est.

Pro conclusione disputationis de quolibet Erphurdiae anno christianae computationis MDXV celebratae in frequentissimo patrum et ordinum consessu quaerebatur:

An ebrietas vitiorum fomes, virtutum enervatrix, ingeniorum 15 pestis, vitae teredo, omnium denique aetatum clades et excidium:

Quae Germanis fere omnibus non minus vere quam contumeliose ab Italis exprobratur:

Sit avaritia peius vitium et in puero bene instituendo quam res Venerea detestabilior, magistratibus et res gerentibus pernitiosa, 20 in sacerdotibus turpis, litterarum vero studiosis omnibus tamquam memoriae mors fugienda censeatur?

Vellem profecto, humanissime domine quodlibetarie, ad huiusce tam grandis tamque diffusae quaestionis sententiam explicandam alium Vestra praestabilis humanitas, ad id operae subeundum 25 magis idoneum, delegisset. Quantum enim mei iuvenilis ingenii capacitate possum consequi, tantae difficultatis et copiae est iamdudum ad me data quaestio, ut non solum meae, si quid est eruditionis (quod tamen sentio quam sit exiguum), tenuitate non possit explicari, sed docti cuiusdam et multarum lectionum exper-30 tissimi ingenium et eloquentiam requirere videatur. Est enim, nisi fallar, summa tituli quaestionis: de ebrietate vitanda; de qua re quam multa passim apud omnes ferme, tam sacros quam prophanos, tam ethnicos quam christianos, scripta et adnotata sint, quis nescit, cum huiusmodi vicium sit ebrietas, quod non solum

Christiani sed et gentiles omnes philosophi uno eodemque consensu detestentur, abhorreant? Librum integrum et iustum volumen, non unius aut duarum horarum quaestionem efficerem, si omnia, quae de ebrietate scribuntur et adduci possunt, in huius materiae vellem cogere angustiam. Sed non est animus ita hanc 5 rem exequi, ut maxime omnium philosophari videar, qui nunc maxime ineptire debeo, cum peregregie quidem et perquam belle omnes vos philosophati, iamdudum velut istius molestae severitatis exhilarationem et iocos post seria exspectetis. Consuevit enim huiusmodi ludus philosophicus cum quibusdam iucundissimarum 10 rerum amoenitatibus et dulcibus fabulis interspergi, tum in quandam festivam et ioci plenam facetiam desinere, quo animi, dies iam aliquot severioribus philosophiae studiis occupati et quasi defessi, reficiantur et in semet ipsis revirescant. Cui tam laudatae et bonae consuetudini ne solus contraire novumque et inamabilem 15 morem superinducere videar, agite, humanissimi viri, aequis animis piisque et ociosis auribus quae in hanc rem hodierna die dicturus sum accipite. Audietis enim et seria mixta iocis et veritatem cum mendaciis, historiam cum fabulis aequis, ut opinor, passibus incedentem. Est igitur, ut ad rem veniamus, primo 20 loco animadvertendum, hanc esse ebrietatis velut descriptionem, quam Eobanus Hessus noster nuper rogatu quorundam amicorum ex Famae Virgilianae descriptione immutatis nonnihil verbis sic expressit:

Ebrietas commune malum crimenque iuventae, 25
Ebrietas vitium cladesque aeterna senectae,
Ebrietas vitaeque ferox animique tyrannus,
Turpe malum, quo non aliud damnosius ullum:
Debilitate manet viresque extirpat eundo,
Parva metu primo mox sese attollit in artus 30
Ingrediturque caput sensusque obnubilat omnes.
Hanc peperit mater Luxu patre blanda Voluptas
Extremam, ut perhibent, Veneris Morphique sororem,
Infirmam pedibus plumbumque imitantibus alis,
Monstrum horrendum ingens, cui, quot sunt corpora plumae, 35
Tot putres papulae subter, mirabile dictu,

Tot somni species, tot sunt sine nomine mendae:
Nocte furit siccoque diem nunquam ore salutat,
Luce serit rixas et magnas conmovet urbes,
Tam iuris rectique tenax quam nescia veri.
5 Ebrietas commune malum crimenque iuventae.

Sed, ne prius ineptire incipiam quam bonam huius quaestionis partem absolvero, hanc primam pono conclusionem:

CONCLUSIO I.

Bestialem esse voluptatem ebrietatem.

Vitium ebrietatis et asotiae, quod multos homines peius etiam quam Circes incantamina in bestias vertere consuevit:

10 Multorum vitiorum fomes et incitamentum cum sit, omnem veteris disciplinae sanctimoniam pervertit, sicubi supra modum continentiae inolevit.

Ad huius conclusionis probationem tanta est utriusque generis scriptorum copia, ut a quo primum ordiendum esset paene 15 dubius substitissem, nisi reliquis constantius acclamasset Macrobius, lib. sat. II sic inquiens: *Voluptates duas, gustus et tactus, solas videmus hominibus communes esse cum beluis et iccirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur quisquis est his ferarum voluptatibus occupatus.* An non satis clarum hoc est, quod dicit, 20 eos qui voluptate gustus, hoc est ebrietate et crapula, non abstinuerint in bestiarum et belluarum numero contineri? Nam, ut Aristoteles quoque noster docet, *cum quinque sint sensus hominis, quibus voluptas vel animo vel corpori quaeritur, tactus scilicet gustus odoratus visus auditus, ex illis omnibus voluptas, quae im-* 25 *modice capitur, ea turpis atque improba est. Sed enim quae nimia ex gustu atque tactu, ea gemina voluptas, sicut sapientes viri censuerunt, omnium rerum foedissima est, ceterae vero ex aliis tribus sensibus proficiscentes hominum tantum propriae sunt.* Post Aristotelis verba explicata statim postea subdit Macrobius: 30 *Quis igitur, habens aliquid humani pudoris, voluptatibus istis duabus, comedendi atque coeundi, quae homini cum sue et asino communes sunt, gratuletur?* Mavult enim sapiens quisque Socratem illum,

omnis continentiae exemplum, imitari, dicentem *multos quidem propterea velle vivere ut ederent et biberent, se vero edere et bibere ut viveret,* quam Sardanapalum voluptariorum omnium antesignanum et ducem, qui dixit: *Ede, bibe, lude,* et *Cum te mortalem noris, praesentibus exple deliciis animum; post mortem nulla* 5 *voluptas.* Eya sane pulcherrima clarissimi heluonis sententia: **Eya, wie ein gutt meynung ist es, wo man stettes gutter ding ist,** secundum Senecam: *Vivite laeti, dum fata sinunt,* **laßt vns schlemmen die weil wirs mugen vnd haben,** *cras forte non licebit.* Et, ut Horatius inquit, *dona praesentis cape laetus horae, linque severa,* 10 et alio loco: *Quid sit futurum cras, fuge quaerere,* et item: *Nunc est bibendum, nunc pede libero pulsanda tellus* etc. **So gehen wir** secundum psalmographum de virtute in virtutem, **von einer zech in die andern,** ut scribitur in Taberna Culis rusticorum (**im land zu Sachßen**) cap. *ubique,* in antiquo pariete cum albis carbonibus: 15 **Sauff dich vol vnd leg dich nider, steh früe vff vnd full dich wider; so vortreibt ein full die ander, das schreibt der gutt frumm priester Arßleander.** *Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum,* **wann die brüder zusamen thun vnd werffen den abt zum fenster auß.** *Quia tunc repletum est gaudio os nostrum,* **so wöllenn** 20 **wir vnsern schnabel in weyn waschen,** *et lingua nostra in exultatione,* **vnd wöllen mit freuden singen: Keyn besser freud vff erden ist, dan gutes leben han, mir wirt nit mer zu diser frist dann schlemmen vmb vnd an, darzu ein guter mut; ich reis nit ser nach guth, als mancher reicher bürger nach grossem wucher thut.** Haec enim, socii, 25 haec, inquam, est illa magna navis, **das groß schiff der preiten geselschafft, die do schiffen vnd segeln mit halben wind** versus Narragoniam, **in Schlauraffenland, do die heußer mit bratwürsten gezeunet vnd mit honig bekleibt vnd mit fladen gedeckt seyn.** De qua felici patria dictum est: *Dabo vobis terram fluentem lac et mel,* **da** 30 **vns die gebraten tauben in die meuler fligen.** In hac navi nostro quidem tempore multi sunt principes et antesignani, qui in vexillo quidem pro signo habent imaginem Sardanapali, in puppi vero Philoxeni effigiem cum gruis collo depictam. Illius scilicet, qui, ut Aristoteles scribit, collum gruis dari sibi optabat, quo diutius 35 edendi bibendique voluptate frueretur. Quantum, bone Deus,

monstrum, quam risu dignum spectaculum, si homo quispiam gruis collo conspiceretur, et tamen hoc istud terriculamentum a natura abhorrens optabat tantus voluptatis belluinae adsertor! Gruem igitur eum, non philosophum, fuisse quis sapiens non diiudicet, qui propter pauxillam voluptatem et rem adeo momentaneam homini gruem praetulit? Sardanapalus vero inter voluptates muliebres ipse mulier, non rex, turpiter consenescens, opulentissimum Assyriorum regnum perdidit seque ipsum ignominiosa morte confecit, qui erat eius vitae condignus sane exitus. Erat enim et ipse unus Epicuri de grege porcus. De quibus antequam latius quicquam dicam, prius istiusmodi subinfero corollarium primum.

Corollarium I.

Variis bestiis assimilari ebrios.

In pecudum igitur et bestiarum numero habendus censetur, quisquis huiusmodi ebriosae crapulationis vitio detinetur. An et vos non vidistis aliquando in hac urbe nostra (ne muros civitatis transsiliam) multas huiusmodi pecudes? multas bestias, multos asinos, multos sues, dum, sese homines esse obliti, quadrupedes reptant, in coeno lutoque volutantes sese? Quod ut magis credatis et velut ex re praesenti cognoscere possitis, videte, precor, et cognoscite mores singulorum, qui se vino quottidie zitoque, quod nos cerevisiam vocamus, habunde proluunt atque adeo ingurgitant, ut consistere nisi iacentes vel incedere nisi quadrupedes nullo modo possint, quorum meminit iureconsultus C. *de bestiis* cap. *asini* §. *ipsi sunt*, et ff. *de potatoribus* l. *nulla* cap. **sauffs gar vß** et §. *bos et iumentum,* ubi dicit glosa et notat: **Bald auß** et: **Barth hol krauß.** In Decretis Colonicis, distinctione aequali, et sunt verba domini **Haltlerander,** in capitulo: *Plenus inops,* ubi dicitur, quod aliqui fiunt ebrii ut asini.

De hiis, qui dicuntur habere asininam ebrietatem.

Et illi dicuntur habere ebrietatem asininam, vulgo **eselvol oder truncken,** quoniam non secus ac asini se gerunt erga suos sympotes. Tunc enim vera est illa propositio: *homo est asinus,* **so sein sie recht esel,** scilicet rudes, ignari, infaceti, incompositi, impudici, immorati quales aliquando videmus nonnullos, qui etiam

mediocriter poti neque praeceptores suos neque natu maiorem quempiam, immo ne matronarum quidem aut virginum pudicitiam verentur, quominus turpia dictu proferant, sese malorum facinorum perpetratione iactant et iuxta Ovidianum illud: *corpore cum nequeant, quod possunt nomine tangunt, et nulli non se concubuisse ferunt.* 5

De hiis, qui dicuntur habere ebrietatem caninam.

Item aliqui assimulant caninam ebrietatem, vulgariter: **Ettlich werden hundsvoll,** hoc est, **wenn sie gezecht sein, so stecken sie vol hundsflyegen vnd murren vnd beyssen vmb sich.** Cave ab illis, **hüt dich vor denselbigen beissenden hunden,** quoniam cor eorum vanum 10 est et iniquitate plenum est guttur eorum. Egregie tamen in sobrietate vicia sua isti canes dissimulant, **sie bietten dir gutten morgen,** ore scilicet, sed corde **wünschen sie dir all vnglück.** *Cave ab illis,* **hüt dich vor den,** *qui veniunt ad te in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* 15

Cave ab illis, **hüt dich vor den katzen, die vorn lecken vnd hinden kratzen.** Hii sunt, qui ob nativam et genuinam maliciam, invidiam, quam vel erga bonarum litterarum amatores, vel quoscunque virtute praestare cognoverint, gerunt, nullo nisi ebrietatis tempore non dissimulant. Tunc enim ex abundantia cordis os 20 loquitur, **so gehet des hertzen boßheit zum maull auß,** quia verum est illud, quod vulgari adagio dicitur: **Affen, frawen, kinder vnd truncken mann keyn ding lang heymlich halten kan.** Hii canes non solum in aedibus, sed et in publico aliquando latrant et quoscunque mordicus arripiunt, **vnd mengen stetes hundeßhar eyn.** De 25 quibus dictum est illud psalmographi: *Sepulchrum patens est guttur eorum, venenum aspidum sub labiis eorum.* Sed de illis nihil ad propositum, cum nobis duntaxat de ebriis bestiis sermo sit institutus.

Aliqui fiunt ebrii ut oves.

Sunt deinde alii, qui fiunt vulgo **schaffstruncken,** quales sunt 30 simplices quidam idiotae, muliebria corda habentes, qui de superis et inferis nullo unquam tempore religiosius cogitant quam cum sunt ebrii, ita ut nonnunquam flere etiam superstitiosa quadam

pietate videantur, et tum maxime larvas lemuresque inferiorum expavescere, cum minime est opus. Neque illud animadvertunt:

O genus attonitum falsae formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras et nomina vana timetis,
Materiam vatum falsique pericula mundi!

Quoniam hii in simplicitate cordis sui ambulant neque cuiquam nisi sibi ipsis nocent. **Want warumb?** Ipsi sunt de via Albertistarum et subtilitates Scotizantium non intelligunt, **das ſein die albern ſchaff, weychhertzige weibliche mütterliche kindiſche forchtſame lappen, leſſelmeuler, ſewleſſel, genßleſſel, leſſelgänß, Leußmichel, Heyntz Lungeneſſer, mutehu, ſchudip.**

Quidam inebriati fiunt vituli et simiae.

Multi quoque fiunt ebrii **als die kelber und affen,** qui paulo largius poti loco stare nesciunt, sed saltant, saliunt, surgunt, gestiunt, rident, cantant, ineptiunt, garriunt, denique merae simiae sunt et vituli. De quibus est illud psalmographi: *Circumdederunt me vituli multi et tauri pingues obsederunt me,* et illud multitudine pedum memorabile: *Mille boves pascunt, vitulorum milia centum, musca super vitulum quemlibet una sedet.* Et iterum, ubi scriptura dicit: **Bock, zyge, lam, ferckeln, ku, kalb, lauß, eylff tauſent affen;** et paulo post, **nit weyt von der hinder thür: küßkukelbertate leckt ſchmanth im hünerhauß,** super quo verbo dicit **Haltlerander:** hoc epulum comede, C. *posteriore* §. *si placet.*

De quibusdam qui sues fiunt ex hominibus per ebrietatem.

Sed omnium maxime ridendi sunt illi, qui sues ex hominibus, quotiescunque largius quodammodo vino aut cerevisiae, vel potius Cerberevisiae, indulserunt. Videre enim est, quosdam adeo huic bestiali voluptati deditos et misere occupatos, ut non solum dies sed et noctes continuas insomnes ducant, dum quasi in acie congressi mutuis sese compotationibus conficiunt, perdunt et exhauriunt, **und werden alſo ſchweynußvol, ſewvol,** ut seipsos nonnunquam sues appellitent: **Sewclauß, Schweinkuntz, Varghans, Peterſerckel, veyſt wie ein ſaw.** Gaudent enim huiusmodi probrosis cognomentis sues isti Epicurei, porci voluptarii, scrophae scotophagae, cohortantes interim mutuo se, incitamenta quasi cessantibus et

deficientibus addunt, donec adhuc lingua suum officium potest peragere. Multa enim huiusmodi audiuntur: **Sauff auß; mir zu als eyner ku; ich wart ſein als ein ſchwein; halb, als ein kalb; iſt gut byer, es gylt dir, liebes thier, ein Stubgen oder vier.** Ridentur haec a sapientibus, ut certe sunt plus etiam quam ridicula, foelicitatis tamen partem non modicam istiusmodi ineptiis accedere sibi putant. Quoque magis excidunt, eo sibi magis blandiuntur, cantilantes interim, vel potius suo more grunientes: **Mir wollen ſchlemmen vnd demmen** (habent enim et ipsi fratres sua vocabula) **byß an den morgen fru**, et multa huiusmodi tam contemnenda quam omnibus nota. Sed ridiculum non minus et hoc est, quod postquam bene inebriati, poti dicere volebam, ibi tum operae precium est videre, quantum sues sint. Dicere pudet, sed verum tamen est, et ego me videre aliquando memini: plerumque ipsa pocula ori admota, suborta inter bibendum eructatione et vomitu, rursus adimpleta tum eodem ore iterum exhausta, quod ne sues quidem faciunt, quamvis immundi sua tamen excrementa non perinde devorantes ac aliena, quod foedissimi isti lurcones plerumque factitant. Tum quidem in faciem mensae et apposita nonnunquam edulia magnas portiones et fumantes furfures evomunt, iuxta legem *Haec de compositis* §. *eructavit*, et in psalmo: *Cantate canticum novum*, **ſingt vns das new lidt, das die noten vff die erden fallen.** Respondet aliquis in eodem choro: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Quod spectaculi reliquis interim sociis, **den andern guten Sewkläßen**, summae voluptati est et tantam affert laetitiam, ut, quasi gloriose mortuo inferias celebraturi, unus et alter, immo quotquot sunt, canere statim incipiant: *Venite*, **lieben geſellen mit ſorgen, der kerl wil vns erworgen, vnd lebt noch heute morgen** *in convivio nostro;* **darumb, ir geſellen, helfft in klagen vnnd zu dem kirchhoff tragen, auff das wir nit verzagen** *in potatione;* **wil vnns der pfarrer nitt bey beſtan, ſo wöllen wirn alſo liegen lan,** *illudemus ei.* Post quam mussitationem chorus reliquorum mirabilium fratrum concorditer respondet: **Glam glam gloriam, die ſaw die hat ein pantzer an.** Postea vero ipsi, ne scilicet cum larvis luctantes suum morem interim negligant, ad pocula redeunt, cum interim sus aut canis

[illegible] habetur in
[illegible] linea
[illegible] centro terrae.
[illegible] lauffen,
[illegible] gegurth, in
[illegible] portiones:
[illegible] mit
[illegible] die
[illegible] mit lauter
[illegible]
[illegible] nunc a pro-
[illegible] acce-
[illegible] ebrii
[illegible]
[illegible] ist,
[illegible] uno.
[illegible]
[illegible] enim
[illegible] tam pu-
[illegible] philoso-
[illegible] enim et
[illegible] et
[illegible] in lu-
[illegible] hii
[illegible] vocantur:
[illegible] nunquam ne
[illegible] quam
[illegible] eruditi.
[illegible] et seriis sua
[illegible] ratio instituti
[illegible] quibus dicebam.
[illegible] enim [illegible] hucusque
[illegible] cucumque bestiali
[illegible] occupati, ut reliqua
[illegible] vero et exhilarari in amicorum
[illegible] culpaverit, de quo in sequentibus

dicere pauca quaedam constituo. His igitur omissis corollarium secundum conclusionis primae pono.

Corollarium II.
Vinum moderate sumptum prodest.

Quemadmodum ebrietas multorum viciorum fomes et causa est recte asseritur:
Ita vinum modice et continenter potum ingenia et virtutes ex- 5 citare dinoscitur.

Primam huius corollarii partem confirmat divus Hieronymus, ad Eustochium de virginitate servanda sic scribens: *Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Haec adversus adolescentiam prima arma sunt daemonum. Non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat* 10 *ambitio. Facile aliis caremus viciis, si hic hostis nobis inclusus est.* Hactenus ille. Quod apud veteres illos Romanos meliori tum seculo adeo sancte observatum testatur Valerius Maximus, ut vini potione matronis prorsus non liceret uti, essetque capitali sententia interdictum, quoniam proximus a Libero patre incontinentiae gradus 15 ad inconcessam Venerem esse consuevit. *Vinum enim,* ut idem Hieronymus testatur, *voluptatis incendium est.* Et *venter mero aestuans* (ut est in Decretis canonicis) *cito despumat in libidinem. Ubi ebrietas ibi libido dominatur et furor,* et ibidem, Dist. tricesima quinta, statim postea, ex concilio Agathensi: *Ante omnia cle-* 20 *ricis vitetur ebrietas, quae omnium viciorum fomes est ac nutrix. Omnium* dicit, non *multorum,* viciorum fomitem esse ebrietatem. Multa vero huiusmodi testimonia scriptorum hoc in loco citare possem, nisi satis esse ducerem summatim ostendisse, fomitem et causam esse multorum viciorum ebrietatem; non enim luxuria 25 solum et libidinatio, sed mille alia vicia ebrietatem tamquam ducem consequuntur. Quis enim nescit, quis non videat tot passim inter ebriosos emergentia homicidia, parricidia, sacrilegia, furta, stupra, adulteria, incestus, raptus, iurgia, fraudes, periuria, denique in Deum et reliquos coelites blasphemias, superstitiones, 30 haereses, contemptus superiorum, rebelliones, iniurias et contumacias, animi praeterea desperationem, pusillanimitatem, ignaviam, desidiam, ignorantiam, stuporem, expavescentiam et id genus non

parum multa. Quis enim omnia enarraverit? Videte, precor, boni viri, et cognoscite filium illum perditionis, das verlorn schaff das mit den sewen die treber fraß, qui absumpto et dilapidato patrimonio, quod ex relicta haereditate satis amplum possidebat, fide praeterea omni decocta, cum non haberet amplius unde viveret, fodere non valeret et mendicare erubesceret, in desperationem versus, latrocinia cum reliquis eiusdem farinae coepit exercere. In quo vitae genere cum multa mala perpetrasset, captus a quodam praefecto, cum ad supplicium duceretur, magna se iniuria affici clamabat, quod nemo eorum, quibuscum olim familiariter vixisset, multasque pecunias pro ipsis expendisset tot iucundis symposiis, praesto sibi nunc ultimo passuro adesset, unico aquae haustu solaret, cum unus e multitudine: 'At qui', inquit, 'nescis, miser, fortunae flatum amicos istos consequi consuevisse, et plures esse felicium amicos, miserorum prorsus nullos? Ipsi vero peccuniam, non te, tantopere venerabantur, quod ea te uti non posse animadverterant. Valebis igitur ut meritus.' Quam vocem quorundam excepit risus, quorundam vero sequebatur commiseratio: digna tamen, quae daretur prodigo nebuloni, responsio; quoniam homo, cum esset in honore, non intellexit, comparatus est iumentis et similis factus est eis. Qualis servitus tale praemium, qualis vita talis mors, iuxta proverbium: *Sicut vixit, ita morixit; post sūssum saurum;* küpffern gelt küpffern selmeß. Wan wir das gelt vorprassen, so ziehen wir vff den betlerßhagen vnd lauffen cum sacco per civitatem, ut habetur *in speculo peregrinorum,* titulo *de mendicantibus* cap. *ego pauper ludo* §. *panem propter Deum,* et in sacris litteris: *Silientes venite ad aquam,* der weyn ist hewer nit wolgeraten. Cum vero esset mortuus ille bonus tanti patrimonii absumptor, tale eius tumulo fuit inscriptum epitaphium, quod dicitur composuisse quidam occultus poeta de Elferßkehoff, pago non procul ab Erphurdia; erat autem scriptum in muro luteo cum carbonibus desolatoriis,

In hunc modum:
Hic iacet ille, qui fuit unus inter mille,
Semper mane et sero cum sua plenissima pera.
In Pinterßleben natus, Hans Raumtasch fuit vocatus,

Omnibus fuit gratis, quia bipsit in charitatis:
Postea pauper factus est ad patibulum tractus.
Hoc facit mihi valde ve, quia nullum dedit mihi vale,
Nec mihi hoc dixit sua mater, quando ipse morixit.
Qui transis apud, memento flectere caput, 5
Dicentes humiliter tria lignea pater noster.

Plura dicerem fieremque magis etiam ineptus, nisi planum iam esse putarem, ebrietatem omnium viciorum esse fomitem. Igitur secundam corollarii partem aggredior. Dum ebrietatis vituperationem recenseo, vini usum non abiicio; fatendum namque 10 et verum est, vinum bibere adeo non obesse, si esset, ut par est, modus in rebus et temperantiam pulcherrimam virtutem in re valde periculosa adhiberemus. Etenim vinum malorum, quae ex ebrietate consequuntur, causa non est, sed excessus hominum. Cum enim, ut est apud Lucianum in dialogis Deorum, Iuno Iovi 15 exprobrasset, quod filium haberet effeminatum et mollem, Bacchum scilicet significans, qui tamen suo invento multorum malorum esset autor, respondit Iupiter in hunc modum: Nihil hoc est quod ais. Non enim vinum haec neque Dionysius facit, sed excessus mensurae potationis citra decorum se habentis, satiando se puro 20 vino. Qui vero modice biberit, hilarior quidem et iucundior fit. Hactenus ille. Pulchrum sane testimonium et sufficiens, nisi plura passim occurrerent ad eandem rem non modice facientia, apud Macrobium lib. Sat. 2 Euangelus: 'Agite', inquit, 'antequam surgendum nobis sit, vino indulgeamus, quod Decreti Platonici auto- 25 ritate faciemus, qui existimavit, fomitem quendam et incitabulum ingenii virtutisque, si mens et corpus hominis vino flagret. Quod et sensisse videtur, quisquis ille fuit, qui dixit, vinum modice sumptum intellectui videtur afferre acumen.' Verum est et illud Ovidii nostri: 30

Vina parant animos faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturque mero:
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor et curae rugaque frontis abit,
Tunc aperit mentes aevo rarissima nostro 35
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Illic saepe animos iuvenum rapuere puellae,
Et Venus in vinis ignis in igne fuit.

Qua enim re maxime quis afficitur, eam leniter et temperate potus continuo obvolvit animo, consideratque multo tum diligentius,
5 quomodo vel rem cupitam possit consequi vel in sua professione excellere. Id animadvertere licet in puellarum amatoribus, vulgariter **an den metzenknechten, nachtraben, pflastertretern, krantznarren, tantzkompen, winckeltauben, gruntzern,** quales sunt plerique nostrorum studentum, qui semper vadunt in plateis spatiatum de mane
10 et de sero, super montem et super longum pontem, in foro raparum et in foro piscium, et etiam aliquando, cum sunt ebrii, ad octo lapides, **bey den zerryssen frawen: do die eer auff glesern steltzen gehet.** Ibi enim *sunt valde pulchrum socius et secant se cum* **stadtknechtibus,** quod diabolus extra saltat. De quibus scri-
15 ptum est per prophetam dicentem: *Reges eos in virga ferrea*; **man wirt sie mit eysern fleyschgabeln heym jagen,** *et tamquam vas figuli confringes eos,* **vnd mit alten krauttopffen nach in werffen.** Sed iam mihi tempero, ne, dum sacram scriptura mnimis diligenter expono, malum theologum me esse ostendam. Eündem tamen animi im-
20 petum in poetis et versificatoribus quibusdam malis, quibus non est aliud inter bibendum loquacius aut ex philosophis molestius hominum genus, maxime cum aliqualiter poetis de vocabulo aliquo exoleto aut mensura unius syllabae contentio suborta fuerit. Ibi tum *protinus declamant medio sermone diserti, et sua vesanus scripta*
25 *poeta legit,* quod et Martialis exprimit, dicens:

Possum nihil ego sobrius, bibenti
Succurrunt mihi quindecim poetae.

Et Horatius noster:

Foecundi calices quem non fecere disertum?

30 Etenim ut senarius proverbialis testatur: *Non est Dythirambus, aquam si potitet.* Haud adest hilaritas cum deest vinum; languet poetarum ingenium, in vino concalescat. Quod et Horatius lib. I. Epistolarum fusius quidem expressit his verbis:

Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
35 Quae scribuntur aquae potoribus, ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,

Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae,
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,
Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda, forum putealque Libonis
Mandabo siccis, adimam cantare severis. 5
Hoc simul edixit, nec cessavere poetae
Nocturno certare mero, putere diurno.

Denique, ut arctius vela contraham, non solum poetarum sed omnium denique hominum, quicunque ratione intellectuque vigent, ingenia vinum moderate bibitum erigit attollit exacuit. Quamobrem 10 etiam Persae (ut testatur Strabo lib. Geographiae xv) de rebus maximis inter vinum consultare olim consueverunt, quas ipsi firmiores putabant quam quae in sobrietate fuerint deliberatae. Et hoc est, ut scribit Macrobius, quod in primo et secundo de legibus Plato non inutile viris esse decernit. Nam et modicis hone- 15 stisque inter bibendum remissionibus refici integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia existimavit. Atque haec quidem ad explanationem secundi corollarii sufficere puto. Reliquum est, ut tertium hic subiungam.

Corollarium III.
Quomodo et quatenus cum amicis bibendum sit.

Symposia igitur et iucundas amicorum compotationes stultum est 20
criminari,
Cum id, etiam vetustissimis ac sapientissimis viris factitatum, pulchrum sit imitari.

Quae Graeci symposia, nos compotationes vocamus, earum originem adeo vetustam esse constat, ut quasi cum nascentis ori- 25 gine mundi emersisse videri possit. Quis enim nescit Loth istius vetustissimi cum filiabus, ut habetur Genes. xix, incestum concubitum non alia ex causa quam vini compotatione commissum. Noa pater, quem Lactantius lib. II divinarum Institutionum vini usum invenisse dicit, inebriatus est iacuitque nudus, Genes. vi. 30 Verum magis introductam combibendi consuetudinem sunt qui ab Indis ad Graecos commigrasse et defluxisse tradant. Quin etiam apud alias quoque nationes viguisse legitur. Nam et ait

Plyn. lib. XIIII: *Gloriam hac virtute Parthi quaerunt, famam apud Graecos Alcibiades meruit.* Lege autem apud Lacedaemonios et Athenienses cautum erat, ne invicem ad ebrietatem usque compotarent, qua lege non interdicebatur vini usus aut simplex aut
5 sobria compotatio, sed tantum viciorum mater, ebrietas. Verum ne ego in praesentia in his elaborare maxime videar, quae maxime nostro disconveniunt proposito (quippe nihil ad nos in praesenti tractatu, quis primus vel potandi vel compotandi usum introduxerit, quandoquidem nos non in rei inventione, sed in re ipsa per
10 quemcunque inventa laboramus), itaque symposia celebrare, cum amicis conveniet, compotare interdum et iucundis quibusdam fabulis oblectare convivium, id non est contra sapientis viri professionem, cum et animum reficiat, corpus excitet, ingenium acuat, amicitias contrahat, favores conciliet, gratiam et benivolentiam
15 saepe multorum nobis comparet. Nam et Plato loco praeallegato scriptum reliquit, *non diffugiendas esse huiusmodi exercitationes adversus propulsandam vini violentiam, neque illum unquam continentem prorsus aut temperantem satis fideliter visum esse, cui vita non inter ipsa errorum pericula in mediis voluptatum illecebris explorata*
20 *sit. Nam cui libentiae gratiaeque omnes conviviorum incognitae sint, quique illorum omnino expers sit, si eum fortasse ad participandum huiusmodi voluptates aut voluntas tulerit aut casus induxerit aut necessitas impulerit, mox deliniri et capi neque mentem eius atque animum consistere. Congrediendum igitur et tanquam in acie qua-*
25 *dam cum voluptariis rebus, cumque ista vini licentia cominus decernendum ut adversus eas non solum fuga et absentia simus tuti, sed a vigore et constanti praesentia moderatoque usu temperantiam continentiamque tueamur, et calefacto simulque refoto animo, si quid in eo vel frigidae tristitiae vel torpentis verecundiae fuerit, deluamus.*
30 Hactenus Plato. Videtis autem, boni viri, quam sit amica tanti philosophi persuasio, quamque veritati consona sententia! Ad quam ferme alludit Plutarchus in libello de tuenda bona valetudine, dicens, *maxime cavendam ingurgitationem ebrietatem immodicumque deliciarum usum hiis, qui solenne epulum sint celebraturi aut*
35 *qui amicos apparant convivio accipere, aut futurum est, ut a divite quopiam aut principe convivio splendido adhibeantur, expectentque*

commune bibendi certamen, quod recusare non liceat, quo nimirum iam tum in tranquillitate corpus expeditum ac leve reddant velut adversus imminentem ventorum ac undarum tempestatem. Siquidem perdifficile fuerit in coetu hominum et inter invitatiunculas illorum te ipsum intra mediocritatem solitamque temperantiam continere, ut 5 *non omnibus vehementer gravis ac molestus et onerosus esse videaris.* Suadet igitur idem Plutarchus, ut exempli Philippi regis Macedonum semper quasi futurae ebrietati locum relinquamus. Et profecto vino eadem a nobis dicenda sunt, quae Veneri dixit Euripides: *Contingat mihi copia tui, sed contingat moderata nec unquam* 10 *mihi desit,* siquidem vinum et potus est utilissimus et pharmacum suavissimum et opsonium quam minime noxium. Et vinum, ut Plato scribit, a natura quasi remedium adversus senectutis incommoda datum est, ut et reviviscere videantur et tristitiae eos capiat oblivio. Quid autem hoc in loco attinet dicere omnia, quae ad 15 iucundam istam temperanter combibendi consuetudinem pertinent. Et quiescam sane, si hoc unum addidero:

Veteres non solum ad mensuram sed etiam ad numerum bibere consueverunt.

Veteres non solum ad mensuram sed etiam ad numerum litterarum nominum eorum quos amabant bibere consuevisse accepimus. Tot enim exhauriebant pocula, quot cuiusque amatae no- 20 men litterarum elementa continebat. Quod testatur Martialis festivo epigrammate:

> Naevia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
> Quinque Lydas, Lyde quattuor, Ida tribus.
> Omnis ab infuso numeretur amica Phalerno, 25
> Et quia nulla venit, tu mihi, somne, veni.

Praeterea ad numerum Musarum novem scyphos propinare solebant vel Gratiarum amore tres duntaxat. Unde in proverbium consuetudo abiit: *aut ter bibendum aut novies.* Quod Ausonius sic expressit: 30

> Ter bibe vel toties ternos, sic mystica lex est
> Vel tria potanti vel ter tria multiplicanti.

Atque, ut maior esset compotandi licentia, Deorum etiam

indignationem sobrie viventibus minitabantur. Nam Tibullus de Libero patre ait:

Iam venit iratus nimium, nimiumque severus;
Qui timet irati numina magna, bibat.
5 Quales hiis poenas Deus hic quantasque minetur,
Cadmeae matris praeda cruenta docet.

Igitur, ut ex neotericis quidam non indoctus scribit, haec propinandi vetus consuetudo, qua tam absentes quam praesentes ex mera amicitia et benivolentia ad bibendum, quantum sapiat et 10 voluntarium sit, subinvitamus, non solum non abolenda, verum etiam tanquam humanitatis et officii plena a quibuscumque etiam colenda et imitanda, et pro hoste inimicoque censendus, qui sic bibere inter amicos contempserit. Neque damnandus et ille fuerit, qui modum aliquando sed raro in bibendo excesserit, quandoqui- 15 dem et medicorum consilium est, quemque bis in mense debere inebriari. Itaque, quantum ad praesens sufficit, clarum est et hoc corrolarium. Nunc ad secundam conclusionem transeo, quae talis est:

CONCLUSIO II.
Germanis ebrietas ab Italis obiicitur.

Ebrietas, quae effusis continentiae habenis modum omnem et 20 regulam temperantiae egrediatur,

Germanis fere omnibus non minus vere quam contumeliose ab Italis obiicitur.

Huius conclusionis prima pars nihil habet, quo ulteriori elucidatione egeat, cum omnia, quae circa eam considerari possint, 25 in superioribus satis superque sint explicata. Quocirca ad quaesiti (ut vocant) partem convertendum sermonem censui. Ioannes Antonius Campanus, Italorum omnium ex recentioribus facile disertissimus, libro epistolarum sexto, ad gentilem suum scribens, Germanorum luxum et gulam inter alia sic increpat:

30 Nos miseri extremos pipere incroceavimus ungues.
Iam me si videas, psittacon esse putes.

Et subdit: Est quoque illud grave uno prandio per fercula in coenam decurrere,

Et solem lunae longa coniungere mensa,
Et nocti ad coenam continuare diem.

Et iterum:

Quid de patritio sentis? qua nare madentes
Inter Germanos vivere posse putas? 5

Sed tamen veniam, quo volebam. Paulo post, ubi ad cardinalem Papiensem de moribus Germanorum scribit, sic inter alia:

Tu sortem miserere meam: fugare repulsae
Pierides Istrum Flora Venusque bibunt;
Arce sedet Bacchus, cessit neglectus Apollo; 10
Nil est hic aliud vivere quam bibere.

Et gravissimus autor Cornelius Tacitus libro undecimo historiae Augustae de Italo rege Cheruscorum scribens, sic loquitur: *Erat primo laetus Germanis adventus, atque eo magis quod nullis discordiis imbutus pari in omnes studio ageret; celebrari, coli, modo* 15 *comitatem et temperantiam nulli invisam, saepius vinolentiam ac libidinem, grata barbaris, usurpans.* Haec ille. Ex quo cognoscere licet, bibendi vini aviditatem non noviter neque nuper Germanis nostris influxisse, sed fuisse etiam pervetustis temporibus. Quippe cum adhuc idola colerent, Bacchum quoque inter reliqua gentili- 20 tatis numina venerati sunt, cuius rei aliquot adderem testimonia, nisi aliud meum esset propositum, quam Germanicas antiquitates recensere. Conradus Celtis poeta, licet Germanus, graviter tamen ubique in vicia invehens, sic barbariam suam alloquitur:

Ebria Germano vicio suffusa laboras, 25
Nam titubant gressu lingua pedesque suo.
Quid iuvat insano pectus limphare veneno,
Et male composito gutture verba loqui?

Quoniam in septentrionalibus partibus mulieres non minus quam viri inebriantur, nec admodum vicio ipsis vertitur, ad mensuram 30 plerumque cum viris perpotare, retulit mihi nuper Hessus noster, qui aliquamdiu vixit in ista septentrionali barbaria, vidisse se non semel adeo potas et temulentas feminas, ut nihil turpitudinis non admitterent, iacuisseque saepenumero turpiter et ignominiose diabolares bestias, plerumque etiam primarias mulierculas. De quibus 35 Ovidium scripsisse puto:

Turpe iacens mulier, multo madefacta Lyeo,
Digna est concubitus quoslibet illa pati.
Quod ut magis credatis narrabo vobis veram historiam.

De adulterio duorum ebriorum vera historia.

Contigit semel, ut ex nocturno symposio domum abeuntes
5 uxor cuiusdam fabri ferrarii ebria valde cum quodam ex ordine
litteratorum ex pacto congressa, cum maritus perseveraret interim
in compotationibus, in eo lecto, quo ad perpetrandum adulterium
convenerant, re turpi et multa crapula deliniti ambo iacentes, in-
opinato edormiscerent iuxta sermonem Dormi secure: '**Schweig**
10 **still vnd leg dich, erweck das kind nitt.**' Erat enim iuxta lectum
puer natus in **Bettelßheym.** Cum interim maritus, et ipse ebrius,
accensa candela, ad lectum accedens, ambos dormientes conspica-
tus, adulterum scilicet cum uxore pudica, **den guten gesellen mit**
der bößen huren, magna voce exclamavit: '**Welcher teuffel hat dir**
15 **das bevolhen, was hastu hie zu schaffen?**' Cui ille: '**Hei,** inquit,
per Deum vinum, **by dem fligen got, wie ist mir geschehen? Lieber**
meister Affenschwantz (id enim erat huic fatuo cognomentum), **ich**
hab warlich nit anders gewust, dann ich wer do heim by meynen
gesellen gelegen; sed, ecce, quid video? **Welcher teuffel hat sich**
20 **nue zu mir gelegt? pfuh der schande, das sich eyner also vol seufft,**
wol auff zum teuffel, was ist das?' Ad quae verba bonus ille
Affenschwantz effusissime ridens et verbis adulteri fidem habens:
'**Ja, sagt er, ich mein, ich kan euch zu bet jagen.** Nihil damni
est, **eß schadt nit.** Sed nemini dixeritis visionem hanc; **sagt nit,**
25 **das ir seit hie gewesen.**' Hiis ille laetus et securus abiit. Uxor
vero postera die rem egregie dissimulabat, virum ultro etiam ob-
iurgans, qui se de crimine nunquam ne cogitato quidem auderet
insimulare. Egressa enim foras flevit amare, **sie weinet heiße ze-**
hern, sicut nix grando et spiritus procellarum, volens eo, velut
30 peculiari mulieribus armario, innocentiam suam confirmare.
Meister Affenschwantz vero non didicit illud:

Neve puellarum lachrimis moveare caveto;
Ut flerent oculos erudiere suos.

Concordat vulgare nostrum: Hund hincken, frawen weynen, kremer schweren, do sal sich kein weyß man an keren.

Alia historia de duobus studentibus, qui hospitem cum uxore et filia inebriarunt.

Non multum dissimile huic historiae est illud: Fuerunt Erphordiae duo studentes, qui cum in oppido quodam, quod erat in partibus Franconiae, ad hospitem, non publicum sed privatum 5 eis notum, noctu divertissent, haberetque idem hospes uxorem et filiam formosas, alter ad alterum conversus: 'Utinam', inquit, 'tibi uxorem mihi vero filiam istius hac nocte contrectare liceret,' cui callidus sodalis respondens: 'Inebriemus', inquit, 'eas vino. Quis scit, si convertantur et admittant?' Quod cum hactenus pro 10 voluntate eis cessisset, iamque hospes cum uxore et filia et ipsi duo studentes madidi in eodem cubiculo, in quo tres duntaxat erant lecti, reciperentur (apparebant enim ingenui et morati iuvenes; impleverunt namque undecim libros Ethicorum Erphurdiae apud sanctum Gothardum vff dem schiltgen, et Posteriorum apud 15 Scotos, Physicorum vff dem Sperlingsbergk), noctu igitur surgens alter, qui iuvenculam amabat, leniter eius lectulum (sola namque iacebat) accedens, eamque consolari volens, nullo discrimine facile est admissus. Interim, nescio quid strepitus in domo audiens, uxor ebria ab ebrio marito consurgens, cupiebat videre quid esset, 20 cum interim ille alter, qui adhuc solus dormiebat, invento dolo, cunas, in quibus infans apud maritalem thalamum erat repositus, ad suum lectum trahens, ipsa redeunte coepit movere cunas infantis; quod ipsa audiens strepitum cunarum secuta lectum adulteri sponte conscendit, putans illic esse suum maritum, ubi cunas 25 invenisset. Ille vero dissimulans dedolavit uxorem alienam egregie, et multis vicibus illa insolitam viri potentiam admirata inquit: 'Eia, mein lieber man, wie seit ir heint so geil worden,' ille nihil praeter 'Tace' respondens, ne vocis indicio proderetur, saepius a principio rem petiit. Luce vero appropinquante surgens ille, 30 qui filiam stupraverat, ad lectum mariti pervenit, quoniam socius eius cunas, quarum indicio ipse maritalem lectum cognoverat, ad sese traxerat; cum vero hospitem suum socium esse credens glo-

riatur, cum hospitis filia se concubuisse, hospes iam sobrius factus, dolum sentiens, uxorem vocat, quae ibidem se apud adulterum esse cognoscens errorem confessa filiam de stupro non increpavit, maritoque persuasit, ne domesticam maculam propalaret; eius
5 enim id omne culpa accidisse clamitabat. Ita fit nonnunquam, ut, quod sobrii ne cogitamus quidem, ebrii facile admittamus. Multa sunt alia multorum authorum huius rei testimonia, sed paucis recensitis contentos vos esse credo, quod non solum ineptias audire, sed modum rebus addere didiceritis. Iccirco pono corol-
10 larium primum.

Corollarium I.

Germani rebus bellicis et omni virtutum genere Italis sunt nobiliores.

Licet Itali singulari quodam continentiae titulo se iactitent, Germanis tamen nullius virtutis gloria praefulgent.

Deridentur ab Italis Germani, ut audio, si quando apud eos existentes paulo intemperantius poti fuerint, tanquam monstrum sit
15 videre hominem vini potentia vel deceptum vel abusum, cum ipsi pro monstris non habeant gravissima quaeque et enormia vicia, quorum ne nomina quidem ad nos vel certe ad maiores nostros pervenerunt, teste Quintiliano, qui in declamationibus *Nihil,* inquit, *tale novere Germani, et sanctius vivitur ad Oceanum.* De quibus
20 autem viciis loquatur, omitto dicere. Natura comparatum esse testatur Herodotus libro nono, ut e mollibus regionibus molles viri existant neve ex eadem terra admirandae fruges et egregii bello viri gignantur. Strabo lib. 3 Geographiae sic ait: *Id quod est in felici regione, pacificum omne est, et quod in tristi, pugnax ac*
25 *virile.* Caesar in commentariis *Suevorum,* inquit, *est gens longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium.* Constat vero Suevos et Hessos et Suiceros steriles habitare terras et ob id bellatores esse acerrimos. Cornelius Tacitus de situ moribusque Germanorum scribit: *Litterarum secreta viri pariter et feminae ignorant.*
30 Atqui nostra aetate vel pueri ac simplices puellae doctius legunt et canunt tum sacra tum prophana, quam prima aetas Italorum. Adeo commutati sunt mores antiqui atque utinam cum litteratura ab Italis non acceperint nostrates populi luxum Saxonicum, Bava-

ricam intemperantiam, Franconum insolentiam, Hessorum ferocitatem, Thuringorum ignaviam et inhospitalitatem, Misnensium superbiam, Pomeranorum et Silesitarum inurbanitatem, Boemorum, Vestphalorum, Phrisonum et Pruthenorum mobilitatem et perfidiam, Rheni et Danubii quaestuarias artes et vafricias, atque id genus 5 praestigiarum officiarumque taedia. Sed alia consulto praetereo, de quorum aliquo exclamat Celtis poeta natus in media Germania:

Quam vereor serpat nostras hic morbus in oras,
Quandoquidem luxus nos tenet Italicus. 10

Et in alio carmine sic idem poeta:

Non solum nostros Germanos, Bacche, fatigas:
Hispanos, Gallos Italicosque tenes,
Utque stetit quondam Latia ille Triconchius aula,
Sic hodie Italicis ebria turba plagis, 15
Quamvis nos turpi Germanos scommate laedant
Ebria Teutonico pectora habere solo.

Taceo mille fraudum imposturarumque genera, mille nocendi artes, mille libidinum plus quam bestialium artificia. Atque his sese nobis praeferunt et digniores putant ipsi, qui etiam sobrii 20 non verentur facere, quae Germani ne ebrii quidem ulla necessitate admittimus. Rebus vero bellicis quanto clarior sit nostra Germania, id multis eorum cladibus probatum est, et argumento esse potest quod nos imperium, quod ipsi molliter defluentes retinere non poterant, abstulimus, iamque ad septingentos annos 25 potenter et gloriose retinemus. De fide et integritate quid, precor, attinet dicere? cum probatum etiam Romanorum scriptorum testimoniis, nullam gentem fide Germanis antecellere. Et tamen ipsi nobis ebrietatem obiiciunt, merito quidem, si non et ipsi maioribus implicarentur viciorum sentinis. Sed iam ista negligo, secun- 30 dum scilicet corrollarium deducturus, quod est huiusmodi:

Corollarium II.

De septentrionalibus Germanis, qui cerevisia maxime utuntur.

Magis tamen detestanda est eorum consuetudo, qui versus septentrionalem plagam Germaniae fines inhabitant:

Non vino, quo nisi importato carent, sed pernicioso potu, quem cerevisiam vocant, absque ullo temperamento sese ingurgitant.

Germaniam olim fuisse tam agris quam urbibus incultam et desertam Cornelius Tacitus est author. Quodsi idem scriptor, ab Elysio parumper revocatus, Alpes transgressus, ab Athesi fluvio per Oenum, Danubium et utramque Rheni ripam usque ad Albim progrederetur, diceret profecto, longe esse aliam quam ipse olim descripserit. Non enim modo urbibus, arcibus, villis et pagis ornatissimam, sed etiam frugum omnis generis, tum metallorum et optimi vini feracissimam offenderet in eo, quem dixi, progressu. Quodsi Albim quoque superans ad Istulam usque, cuius utramque ripam Germani quoque longe lateque possidemus, ad Rigam usque, potentissimam opulentissimamque Livoniae urbem, quae et tota nostrae est ditionis, procederet, fateretur, eam quidem littoralem Germaniae oram clarissimarum urbium aspectu longe magis illustrem et admirandam, licet vini non adeo propter coeli inclementiam feracem. Igitur tota ista maritima Germaniae pars, longe lateque Oceani Germanici littoribus et immensis in sinum flexibus excurrens, vino prorsus caret, nisi a negociatoribus importetur. Id autem dumtaxat in civitatibus maritimis, magnoque constat precio. Mos est igitur earum regionum, cerevisiam (quod genus potionis Diodorus zithum appellat) coquere, qua passim multo etiam peius quam superiores Germani vino inebriantur. Quam, ut omnibus vobis notum est, ex hordeo tritico aut etiam siligine adiuncto semper lupulo et aqua concoquunt. Portentosum sane potionis genus, tamquam non ad alium usum natura parens humano generi fruges dedisse videatur. Exclamat Plinius lib. XIIII, cap. ult.: *Heu mira vitiorum solertia inventum est, quemadmodum aqua quoque inebriaret.* Fit autem hic potus modis pluribus nominibusque item et item aliis, ratione tamen eadem ubique. Retulit mihi nuper amicus quidam mihi valde familiaris, quique et bonam istius maritimae Germaniae partem perlustraverit, morem esse in Livonia, ut quoties praeter quottidianum conviviorum usum curiales isti aulici, leves et perversi homines (quorum ibi propter teutonicam militiam magna copia), cum aliis, quoque et quocunque

loco conveniant, ibi tum considere longo ordine per sedilia quasi in hemicyclo, afferrique mox poculum unum ingentis magnitudinis, idque cerevisia plenum in manu tenens, qui in consessu primus est, ad sequentem conversus, inquit: **Et gilt, myn leve stalbroer.** Respondet ille: **Sup, myn leve stalbroer, ick wil't gern hefen.** Quodsi ita respondens postea tergiversari voluerit, ab illo eodem mox stricto pugione (quos in eum usum gerunt), plerumque etiam impune, confoditur. Tanta est viciorum apud eos homines reverentia, ut fidem in re turpi violatam puniant. Itaque, ut ad propositum redeam, eum ordinem usque ad ultimum continuantes, a primo iterum atque iterum, tum saepe repetito ordine, incipiunt, fierique eo modo aiunt, ut plerique, fidem fallere non volentes, plus etiam quam eorum natura sufferre queat haurientes, animam inter pocula evomant, efferrique saepe mortuos, reliquos vero non minus suum ordinem usque ad unum continuare gloriarique super mortui cadavere, non secus ac si egregium aliquod facinus peregerint. Ex Livonis digressis in Prussiam occurrit mitior quidem et multo humanior populus, ad conviviorum tamen luxum et poculorum vicissitudinem multo quam decere possit propensior. Apud eum populum Dantiscum, civitas maritima, dives emporium, populorum multitudine, externarum rerum importatione, negociatorum frequentia, urbis et loci amoenitate, situque et civium mira humanitate praeter alias eius regionis civitates maxime commendatur. Sed unum oblitus sum. Neque enim ego urbem commendare volui, sed cerevisiam, quae ibi coquitur, optima totius, ut aiunt, Germaniae. Mos est, non solum eius civitatis sed totius istius maritimi tractus ad Lubecum usque et Hamburgum (ubi non minus optima fit cerevisia, sed ex tritico, non ut apud Dantiscum ex hordeo) convivia subterraneis cryptis celebrare ac diu noctuque poculis sese invicem urgere, non solum viris sed et feminis etiam. Sed quid haec referam? Dolor est meminisse bonorum. Sed pro me melius vobis Celtis noster satisfaciet, qui interfuit tantis deliciis. Sic enim inquit:

Est mos, arctoo quo se Germania claudit
  Aequore, quo rigidum temperat aura gelu:
Sub terra effossis facimus convivia cellis,

Quis lardum crudum farsaque cruda damus;
Cum strumulo caeso butiroque in pixide salso
Et Bacchum et Cereris pocula aquosa damus,
Phoebus Rogidas globus ut se condit in undas
5 Noxque suos oculos protulit ignivomos,
Cumque processerunt stellata sidera mundi
Effulsitque suo iam Cynosura polo;
Mox noctem ludis Baccho Cererisque liquore
Ducimus, aequali et pocula lance volant.

10 Et paulo post:

Iamque fuit ventum sub subterranea castra,
Quae Ceres et Bacchus Cypris et alma tenent;
Elysiis positum campis me forte putabam
Atque locis, quibus in turba sepulta sedet:
15 Tam varios video lusus et ludicra verba,
Oscula et amplexus, quicquid et audet amans,
Iamque ego non noctes tenebrosas ire putabam
Sed qui vernali ridet in axe dies,
Gaudet Amor tenebris, volat et sub nocte Cupido,
20 Noxque placet Veneri, Baccheque blande, tibi.

Super hoc quaedam iaceciae.

Moris autem est, ut cucullatae in istas cavernas tam feminae quam viri ingrediantur, ne passim et a plebea multitudine agnoscantur. Ingressi vero omne velamentum abiiciunt. Ibi tum in mediis voluptatibus nepotantes, iure scilicet naturali, **nach der alten**
25 **weyß**, secundum legem: *Tu quoque fac simile*, et secundum medicos, ut dicit Harpocrates, de commixtione complexionum, '℞ *piperis longi manipulum unum, uncias duas pillularum cochiarum*, **ungekocht ſledermeuß, rips raps, ſtubenrauch, hymelblow** II, **donner** *ex grillorum, adhuc* **ſemel, ſenff, merrettich, güty**, *ex eodem* **ſchorn-**
30 **ſtein ſegen**, *diagredion, diatesseron*, **ein hinderviertel von der vichmeydt im großen ſpytal**, *misce simul et contere in mortario; repetatur mane et sero, media nocte et in omni tempore*', et in sacris litteris: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. I. *Laeva eius sub capite meo et dextra eius amplexabitur me.* Textus intelligendus

est, ut verba sonant secundum Lolhardum Rubschnitzel de Filtzbach in sua Authentica cap. *Non sic formantur* §. *grossitudo, ubi filtzitasti*, et secundum logicos: *plura praedicata praedicantur de eodem subiecto alternatim et subalternatim secundum sub et supra in recta linea praedicamentali, in suppositione personali et in materia mixta.* Alexander vero, Dei patientia rex provinciae Barbarorum, sic dicit in suis constitutionibus: *Est communis homo pariter cum virgine latro*; ubi dicit glosa notabilis: *Sciendum, quod hic author ponit unum pulchrum notabile de communitate personarum. Et haec est sententia recte teutonizata: Latro* der pfaffenknecht, *cum virgine* mit der köchin, *est communis homo* ist ein recht paar zusammen, *pariter* an allen orten, et scilicet intellige implicite in stabulo, in cellario, in coquina, in camera, quando scilicet lectum faciunt. Sed iam tempus est tertium huic conclusioni addere corrollarium.

Corollarium III.
De diversis cerevisiae nominibus.

Cum igitur versus septentrionem maior sit cerevisiae quam vini affluentia, diversa eadem res sortitur nomina, secundum diversitatem qualitatum sibi congruentia. Probatum est superiori corrollario, maiorem esse cerevisiae quam vini copiam apud septentrionales populos, hoc est partim in Sarmatia, cuius partes sunt Polonia, Russia, Lituania, Livonia, Mazovia, Prussia, partim in ulteriori citeriorique Saxonia, cuius partes sunt Pomerania, Rugia, ducatus Stetinensis, marchia superior et inferior, et vera illa nobilissimorum ducum et imperatorum parens, antiqua Saxonia, quae longe lateque patens maximam orae maritimae partem occupat, in quibus regionibus, ut dixi, vinum non nascitur, bibitur autem nihilominus importatum optimum, sed praedominatur cerevisia, crassus ille et humano corpori noxius humor, quem (ut credere par est) daemon aliquis malus excogitavit in hominum perniciem, ut eo non secus ac veneno quodam pestifero pleraque clarissima ingenia extinguerentur. Non tamen perinde atque omnino improbanda res, si modus (quod et de vino dixi) adhiberetur; sed optima illa virtus, temperantia, quam et in brutis plerumque

agnoscimus ad nos non venit. Etenim, ut recte dixit Celtis noster, quem hisce de rebus libenter saepe allego:

Taurus habet certas potandi tempore leges,
Sic equus et liquidus, quem vehit aer, avis:
Sed nos, divina qui cum ratione vigemus,
Cur Venus et Bacchus nocte dieque tenent?

Nos vero, non contenti rebus ipsis turpiter abuti, nominibus quoque luxuriamus, tamquam parum sit rem turpem agere, nisi nomen quoque turpitudinis adiiciatur: quamvis fortasse turpe non sit, rem suo vocabulo exprimere, alienas tamen a re ipsa voces fingimus, ut scilicet semper quidem cerevisiam bibentes videamur tamen diversa velut genera diversis nominibus explicare. Quamvis ridicula potius illa quam censoria nota digna, quod Erphurdienses, ut a nobis incipiam, suam illam pinguem et crassam cerevisiam peculiari vocabulo **Schluntz** appellitant, nomine scilicet plane barbaro et horrido, quod ne barbari quidem intelligunt, puto eo mysterio, quod eandem avidius potantes fiunt omnino non intelligibiles, insensati, ne dicam irrationales atque indeclinabiles, in quamcunque partem moveas. Qua in re quid opus est testimonio? Res notior est, quam ut oporteat testes producere. De cerevisia Erphurdiensi tale extat epigramma:

Ah pereat, crassam praestet quicunque sodali
Schluntz Rydegern, nunquam vina meraca bibat!

Lypsensium vero cerevisiam studentes vocant Rastrum, metaphora puto sumpta ab agricolis, quod, quemadmodum hi rastris et sarculis et ligonibus omnem agri duritiam vertunt et emolliunt, ita Lypsensium cerevisia velut rastrum intestina omnia sua acetositate laedit, movet et corrumpit. Est autem triplex, de quo talis est versus:

Eyn topff scherpentum **zwen** rastrum dat **ſpan**que coventum.

Nihilominus tamen in tam nobili oppido externae quoque habentur cerevisiae, ut sunt Eynbeccensis, quae apud nos est optima, Numburgensis, quae oculos laedit, Turgaviensis, Belgeranensis, de qua proverbium est: *Belgerana est omnibus sana,* Vorcellensis, Friburgensis et reliquae id genus. Praeterea quis non novit Saxonicas quoque cerevisias diversis

appellari nominibus, **Filtz** scilicet Magdeburgensis, **Mommom** sive **Momum** Brunswigensis, **Gauße** Gosslariensis. Sed praestat alia praeterire silentio, ne de re nihili aliquid facere velle videar, cum sint tot paene cerevisiarum quot civitatum et oppidorum nomina, in quibus et talia quandoque audivi ridicula: **Quitschart, kuschwantz, kelberzagel, buffel.** Apud Franckfordianos ad ripam Oderae: **staffeling, beyderwan, schlipschlap, fitscherling, stampff in die aschen, störtz den kerl, batzman, hotenbach, glückelßhan, sperpype, horlemotsche, stroheingen, bastart, Rutetop, helschepoff, lorch, itar, salat, streckepertzel, fertzer, Rolings byer, raseman, ald clauß, koervinck, kreßen, mortpotner, reyßekopff, fidelia, lötenaße, hartenacke, breypot, mückensenff,** et multa talia, quae quis numerabit? nomina, per Deum muscarum quamvis plane ridicula tamen bibonibus et birolatronibus istis adeo amabilia, adeo auditu iucunda, ut, quoties talium quippiam nominetur, meras Sirenas sese audire putent, et iam tum ad ipsas voces sitiant. Verum ut aliquando finem ineptiendi faciam, conclusionem tertiam et ultimam huius quaestionis responsivam sic pono.

CONCLUSIO III.
Ebrietatem omnibus statibus esse fugiendam.

Ebrietas avaritia peius vitium, iuventuti perniciosa, senectuti exitialis, sacerdotibus turpissima censenda:

Ut rem publicam gubernantibus prorsus evitanda, ita litterarum studiosis tamquam ingenii pestis et memoriae mors est fugienda.

Non putabam necessarium, ut omnia, quae in capite quaestionis posita sunt, in hac ultima conclusione repeterem, quandoquidem de his in superioribus conclusionibus et corrollariis satis dictum est, et hic velut epilogo quodam dicetur, quod in praecedentibus non ubique est ad verbum expressum. Itaque ad probandam primam huius conclusionis partem resumo verba divi Hieronymi superius etiam corr. II primae conclusionis a me posita, illa scilicet: *Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno; haec adversus adolescentiam prima arma sunt daemonum, non sic avaritia quatit, inflat superbia,* et quae sequuntur. *Non sic inflat superbia*

dicit: quemadmodum scilicet vinum immodice sumptum pervertit omnem vitae ordinem et instruit ad alia vicia, viamque turpitudini aperit. In quam sententiam multa quidem loco praememorato dicta hic repetantur. Nos ad alia festinamus.

Iuventuti perniciosam et magis quam rem Veneream obesse ebrietatem.

5 Iuventuti nihil est ebrietate perniciosius, quandoquidem ipsa se sola non contenta semper ad peiora declinat et trahit occupatum vino et illecebris captum animum. Videmus multos aetate florentes, formosos et amabilissimi coloris existentes, mox ubi continentiae fines egressi viciisque parumper assuefacti ebrietatis con-
10 suetudinem induunt, defluere, emarcessere, elanguere florem illum aetatis, et animi vigorem amittere. Quid adhuc egemus testibus? Considerate, si vultis, quosdam in hoc auditorio, non annis graves, non temporum serie rugosos, non inedia pallidos, non febre macilentos, sed vino sed cerevisia supra modum pota senes languidos,
15 tremulos. Nulla maior pestis erepsit unquam in nostram Germaniam. Facile erat tolerare tyrannos, caedes, latrocinia; istis occurrere et remedia cum tempore invenire potuimus, hanc curare luem nulla medela potest. Hunc hostem in nostris finibus adeo superbe grassantem vincere aut prohibere nullo modo possumus.
20 Quomodo elanguit robur et virtus omnis militiae, quomodo conversa est in luxum frugalitas nostra? quomodo degeneramus a patribus nostris? Maiores nostri sanguine et sudore suo pepererunt nobis princeps terrarum imperium: quomodo nos laborem patrum nostrorum defoedimus, quomodo diripi permittimus? *Aquilae ad*
25 *gruem redierunt,* dixit Campanus, cum vidisset, magis in compotationibus et ebrietatibus quam consilio et sapientia versari diaetas Germanorum, quarum ipse maximae, Ratisponensi scilicet, interfuit. Hannibal ad Capuam, cum vincere Romanos et imperium Europae in Africam transferre potuisset, luxuria et deliciis de-
30 fluens, victus et fugatus est. Alexander magnus non solum nobilissimam Persarum regiam in ebrietate incendit, sed et Clitum et multos alios amicorum interfecit omnemque partarum victoriarum gloriam ebrietatis vicio, velut nebula quaedam solem clarissimum. obfuscavit. Tiberius, Nero, Heliogabalus, Commodus, Domicianus

et plerique alii Romanorum imperatores perditissimis vitae exemplis rempublicam saepe afflixerunt, nos quod ex tanto imperio relictum et maiorum nostrorum virtute ad nos delatum est, etiam aegre non retinemus, ad vicia magis quam ad virtutes ingeniosi. Quid enim isto novicio nostro invento, scilicet tormenti illius, quod bombardam vocamus, excogitari potuit vel ingeniosius vel perniciosius? quo velut viciorum propugnaculo utimur, dum in urbibus muro et aggeribus cinctis eo hostem arcemus, ne voluptariam et quietam vitam impediat, ad hostes vero egressi eo viam per agmina et muros facimus, ut liceat sine conflictu quam maxima nonnunquam bella conficere, ne scilicet corpora ad voluptatem et delicias nata temere periculis obiiciamus. At non sic maiores nostri, qui etiam, ut est apud Tacitum, civitates munitas aliquando dicuntur aperuisse murosque deiecisse, ne essent sine metu hostium, et murorum potius quam suae fortitudini confidentes bellicam virtutem amitterent. Sed ne declamare videar, hinc ex transcursu revertor ad propositum: rem Veneream, tametsi omni aetati turpis est et perniciosissima, non tamen perinde ac ebrietatem in adolescente damnaverim; ea enim plerumque se sola contenta reliqua excludit vicia, adeoque secum occupata semper suis ludibriis ita est intenta, ut de reliquis nihil cogitet; amor enim ille, qui nonnunquam iuveniles animos invadere etiam incautos solet, non adeo praecipitat aetatem et vitae regulam sed potius instruit, informat, mores docet. Componit sese ad benevolentiam qui amat, ut fiat amabilis. Videte Cimonem Boccacii, qui ex fatuo sapiens, ex rudi doctus, ex rustico urbanus, ex agresti civilis solo amoris beneficio factus est. Non placet autem circa hanc rem laudandam consistere, quod suapte natura iuvenum ingenia ad eam ferantur.

Turpissimam esse in sacerdote ebrietatem.

Quam turpis sacerdotibus sit ebrietas, divus Hieronymus aperte docet, ut habetur in decretis canonicis, dist. xxxv his verbis: *Ecclesiae principes, qui deliciis affluunt et inter epulas atque lascivias pudicitiam servare se credunt, propheticus sermo describit, quod eiiciendi sunt de spaciosis domibus lautisque conviviis et multo*

labore epulis conquisitis. Et si vis scire, quo eiiciendi sint propter malas cogitationes et opera sua, evangelium lege, in tenebras scilicet exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. An non confusio et ignominia est Iesum crucifixum pauperem et esurientem falsis prae- 5 *dicare corporibus et ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora praeferre?* Vinolentiam sacerdotum apostolus ad Corinthios scribens damnat cap. v, his verbis: *Nolite,* inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in psalmis.* Hinc dominus in veteri instrumento, ut habetur 10 Levitici x, ad Aaron loquutus in hunc modum: *Vinum et omne quod inebriare potest non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini,* et Numeri vi. cap. habetur eadem sententia. Multis aliis in locis sacrarum litterarum tum etiam multo plura in sacris canonibus, dist. xliiii per totum. 15 Quae ne cuncta diligentius, quam meam professionem decet, rimari videar, avide quaeso Tibullum poetam dicentem:

> Casta placent superis; pura cum veste venite,
> Et manibus puris sumite fontis aquam,
> Vos quoque abesse procul iubeo et discedere ab aris,
> 20 Quis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Communicavit mihi nuper quoque Eobanus Hessus noster versus, quos in eandem sententiam lusisse se aiebat hiis verbis:

> Ah scelus est, satianda cibo potuque Deorum
> Immodice poto polluere ora mero.
> 25 Ebria christophagi vitent convivia mystae,
> Sancta prophanatas non amat ara manus.
> Sit procul omne nephas venerandi a limine templi,
> Pollutum sacras lex iacit ante fores.
> Pura Deo castus persolvat libra sacerdos,
> 30 Cui neque sit Bacchus nec mala nota Venus.

De huiusmodi quoque ebriosis sacerdotibus non ineleganter scripsisse mihi videtur Euricius Cordus in Buco. ludicro sic:

> Non ego qui sancta se religione gubernant
> Denigro, sed pravam quorundam mordeo vitam,
> 35 Qui veteris potius famuli esse videntur Iacchi,
> Qui, tamquam sicca fuerint a Dypsade morsi,

Omnigena in vastam demergunt vina Charybdim
Continuaque iacent madidi ebrietate Sileni.

Huc etiam pertinet illud, quod Esaiae v. cap. scribitur: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis; cithara et lyra et tympanum et tibia et* 5 *vinum in conviviis vestris, et opus domini non respicitis nec opera manuum eius consideratis.* Et statim subdit: *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Sed nescio an et illud nostri Celtis in hanc rem conveniat. Sed convenit. Addam igitur: 10

Nulla sacerdotum luxu nunc casta puella est,
Causaque criminibus sunt sacra templa malis;
Nam plures totum non congrederentur in annum,
Illis colloquium dat modo sacra domus.
Hac tractant foedas turpi cum murmure merces, 15
Ceu solet in medio turba prophana foro,
et quae sequuntur.

Sed quod nunc instat agamus, ne veritatis patrocinio invidiam mihi comparem eorum, quibus est veritate nihil magis invisum. Hinc igitur ex templis ad forum venio. 20

Cavendam ebrietatem gerentibus rempublicam.

Rempublicam administrantibus ebrietas praecipue fugienda est, non secus ac rerum gerendarum impedimentum praesentissimum. Non enim admittendi sunt iuxta Platonis edictum in reipublicae administrationem quicunque eluvioni et voluptatibus deditam vitam agunt, quod hii tum ad consulendum tum ad res gerendas sunt 25 maxime inepti; vinum enim immodice sumptum gravat et obruit omnes vires ingenii, et, ut Campanus inquit in lib. de regendo magistratu, corpus enervat; fluctuat animus voluptatum cupiditatibus incensus explendarumque libidinum, quarum origo est omnis a ventre et pestifera civitati; dignitate enim abiecta et contempta 30 republica unius principis intemperantia tota in licentiam luxumque dissolvitur. Praeclare igitur et Solon Atheniensis legem tulit, quae iubebat temulentum principem morte esse mulctandum, cum satius sit, unum hominem in republica perire quam in uno viro foedari

[illegible]. Et ne dicere nimis multa in eam sententiam videar, una [illegible] atque de his dicam, quae magis ad nostrum institutum pertinent.

Literarum studiosis ebrietatem tamquam hostem praecipuum esse fugiendam.

Literarum studiosi passim hoc tempore communi ebrietatis vitio laborant, quo mali equidem non video quid bonis ingeniis sit perniciosius, cum eo non solum corporis vires sed et ingenii vivacitas atque [illegible] extinguatur et non secus ac cicuta [illegible] reddatur multo quam natura fuerat remissior. Marsilius Ficinus inter quinque studiosorum hostes secundum locum non solum vini sed et cibi societatem enumerat, his quidem usus verbis: *Quippe si vinum vel nimium vel nimis calidum vehemensque fuerit, caput ipsum humoribus pessimisque fumis implebit. Mens [illegible] insaniam facit ebrietas. Cibus vero nimius gravis quidem [illegible] in ipso coquendo omnem naturae vim [illegible]. Quo fit, ut [illegible] simul speculationique intendere nequeat. Terrenis namque [illegible] et crassis vaporibus humoribusque mentis aciem [illegible]. Quam etiam, si satis [illegible], tum (ut Galenus ait) animus pinguis et sanguine suffocatus coeleste aliquid providere non potest.* Quae cum ita sint, ut certe sunt, fugiendam cuilibet studioso non solum vini sed et cibi intemperantiam, quis non videt? [illegible] est [illegible] illa maiorum nostrorum institutio, quae iuxta rectam continentiae regulam sanxisse videtur, ut simplici potu et cibo viverent quicunque in hac Erphurdiensi academia literarum agere militiam constituissent. De qua re cum sint paene infinita, quae dici possent, sponte mihi tempero, ad finem descendo, si prius hoc velut corrollarium adiecero.

Corollarium I.

Peiorem esse in sacerdote ebrietate avaritiam.

In sacerdote vero tametsi frequens ebrietas res est turpissima, avaritia tamen quoad aeternam beatitudinem consequendam est longe pessima. Dixi ebrietatem cum omni statui tum maxime in sacris ordinibus constitutis fugiendam. Restant dicenda pauca quaedam de insatiabili quorundam avaritia, quo vicio passim hoc tempore multos in omni vitae genere admodum infeliciter videmus

occupari. Maxime tamen in illis, qui sacris altaribus ministrant, id vicii detestandum videtur, cum eo magis a peccatis ipsi abesse debeant, quo sunt virtutibus et religioni per sacerdotalis vitae professionem proximiores. Quod cum a non parum multis negligi videamus atque adeo paucis observari id quod in sacris canonibus 5 scribitur, I. q. I. *Cito,* inquit divus Ambrosius, *turpem sequitur lepra mercedem et peccunia male quaesita corpus animamque commaculat.* Non placet mihi circa hunc locum consistere, ne solus mederi velle videar huic morbo, qui tot seculis etiam contra sanctorum patrum constitutiones et edicta invaluit; etenim cavendum nobis est, ne, 10 dum veritatem nimis simpliciter et absque fuco profitemur, ab his, quibus contradicere nephas est, mendacii arguamur. Dicerent enim statim, poetam me esse (a quo tamen semper longissime abfui) atque ideo mentiri, quoniam persuasum habent, ad mendacia duntaxat natos poetas, frequenterque illud obiiciunt: *Multa mentiuntur* 15 *poetae,* et praeterea malos Christianos vocant, sed non solos poetas, habent enim hoc germanicum semper in promptu, quod obiiciant:

Roller, Zoller, Fergen, Schergen, Erzpoeten vnd Juristen
Das seyn syben böser Christen.

Egregium sane dicterium, quod non solum poetas, sed et 20 medicos et iureconsultos in rationario prophanorum adscribit. Sed et non minus illud verum, egregium sane dictum Keyszerbergii nobilissimi istius Argentinensis concionatoris: **Vor zeyten waren gülden priester vnd hultzen kelch, Nue sein die priester hültzen vnd die kelch gülden.** Bonos tamen hic et ubique semper 25 excipio; illis siquidem debetur honor et reverentia. De malis loquor, qui suae dignitatis obliti recte vivendi regulam negligunt et nullo non sunt heluone ignaviores. De quibus hoc praeclare dictum puto, quod scriptum inveni in Institutionibus pravis *de abusione clericorum* cap. *secreto* §. *post parietem* (**do der sew zinß** 30 **fallen**). Sed tamen extra iocum doctissimus vir Bebelius adnotavit hanc facetiam in hunc modum:

Audi quid spectat ad hos qui bonum vult esse sacerdos:
Alta prece lege, cum vadis per civitate,
Curre per ecclesie, lachrimare, percute pecte, 35
Et genua flecte, longissima missa lege,

Habe pelle trite, si vis implere burse,
Esto pontifices papa sacerdos et omnes
Expede mille statim fac cito redire.
Murmure non cure, mitto vade quomodo vade;
5 Fer manice burse, pome coclear quoque pire,
Ita puere parve, tunc mater dat tibi magne,

et reliqua. Omelia beani Ioannis Monasterii de eadem
lectione: Fratres avarissimi, Deus ebriorum malorum rusticorum,
avarorum presbyterorum, monachorum, abbatorum, priorum, fra-
10 trorum et aliorum quorumcunque statorum, seculariorum spiritua-
liorum, regorum, ducorum, principorum, civiorum, civitatorum,
villorum, castrorum, provinciorum, dominorum, amicorum nostro-
rum dilectissimorum et ceterorum, solutam in domum sempiter-
num. Fratres leccatissimi, scriptum est, quod hodiernum dierum
15 leximus, in prohemio templi ad matutinas, quae leguntur in se-
cundis nupciis. *Viri Galilaei*, **ir ungetrewen Frantzosen**, *quid ad-
miramini*, **was lat ir euch bedunchen**, *aspicientes in coelum*, **meynt
ir, das ir uns teutsche verjagen wöllet.** *Alleluia*, **Got geb euch sant
Urbans plag**, *ut ambuletis per vias rectas*, **das ir all mit der u-
20 sen in dreck must fallen.** Tu autem **schüsselkorb, leffelbreth, lieber
herre.**

Magistratibus fugiendam avaritiam.

Quid vero de magistratuum avaritia attinet dicere, cum ea
plerumque clarissimas res affligat et pessundet? *Rerum autem
omnium*, inquit Campanus, *nescio an turpissima sit avaritia in
25 magistratu, quae et odium parit et maximas solet importare calami-
tates, et detrimenta gignit et perversam opinionem integritatis.* Cicero
off. II sic dicit: *Caput est in omni procuratione negocii et muneris
publici, ut avaritiae pellatur etiam minima suspicio.* Et post pauca:
Nullum, inquit, *vicium tetrius quam avaritia, praesertim in principi-
30 bus et rempublicam gubernantibus. Habere enim quaestui rempubli-
cam non modo turpe est sed sceleratum etiam et nefarium. Itaque,
quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia nisi ava-
ritia esse perituram, id videtur non solum Lacedaemoniis sed et
omnibus opulentis populis praedixisse.* Verum enimvero iamdudum
35 instituti ratio postulare videtur, ut coronidem velut navi ex longa

navigatione defessae imponamus, quod profecto faciemus, postquam unum id postremo loco adiecerimus.

Corollarium II et ultimum.
Praedictorum paraenesis.

Discant igitur boni et ingenui iuvenes, qui ex litterarum scientia quaerunt gloriam, vitare ebrietatem, quae ingenium, corpus et fortunas male solet afficere, nedum memoriam. 5

Addam hoc postremo loco verba Plinii ex naturali hist. lib. XIIII, cap. ult. *Ita,* inquit, *vina ex libidine hauriuntur, atque etiam praemio invitatur ebrietas atque, si Diis placet, emitur; alius, ut vel quantum biberit tantum edat, et precium violentiae lege accipit, alius quantum alea quaesierit tantum bibit. Tunc avidi matronarum* 10 *oculi licentur, tunc gravi produntur marito, tunc animi secreta proferuntur, alii testamenta sua nuncupant, alii mortifera loquuntur redituras que per iugulum voces non continent, quam multis ita intemperatis. Vulgo veritas iam attributa vino est. Interea, ut optime cadat, solem orientem non vident, ac minus diu vivunt. Hinc pallor* 15 *et genae pendulae, oculorum ulcera, tremulae manus, effundentes plena vasa, et, quae sit poena praesens, furiales somni et inquies nocturna, praemiumque summum ebrietatis, libido portentosa ac iucundum nefas, postera die ex ore halitus foetidi ac rerum omnium oblivio, morsque memoriae!* Haec Plinius. Sed et illud conside- 20 randum non minus est, quod Vergilio quidam attribuunt; sapienter autem dictum, cuiuscunque sit:

Nec Veneris nec tu vini capiaris amore,
Uno namque modo vina Venusque nocent:
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello 25
Et Lapithas bello perdis, Iacche, gravi.

Agite igitur, optimi litterarum candidati, haec et talia multa considerantes renunciate illorum sodalitati, qui per tabernas circumquaque pervagantes iuventutis suae florem adeo venalem habent, ut nulli non pessimis crapulationibus absumendum prosti- 30 tuant. Capiat vos bonorum familiaritas, quae cum utilitati tum etiam honori vobis esse possit. Cum illis conversamini, quorum consuetudine doctiores melioresque fieri poteritis, illud psalmo-

graphi semper in ore habentes: *Cum sancto sanctus eris et cum perverso perverteris*, et illud poeticum, quod citat divus Paulus: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* Seductores iuventutis vestrae non secus ac pestem quandam mortiferam fugite, bonos 5 duces amplectimini, quod profecto facietis, si, praeceptoribus vestris obedientes, bonis litteris bonam dabitis operam et ebrietatem omnemque nimium luxum et asotiam vitae aversabimini, ut vita innocentes per virtutum operationem finem illum bonorum omnium perfectissimum, quem in hoc sollicito labilis vitae cursu quaerimus, 10 feliciter tandem attingatis, cui est honor et gloria. Dixi.

CONCLUSIO.

Haec sunt, humanissime domine quodlibetarie, quae ex vestrae excellentiae mandato ad quaestionis mihi assignatae enodationem afferre potui, in quibus si quaedam minus ornata minusque ad omnium aures facientia a me prolata sunt, velim vobiscum con-15 sideretis, et breve fuisse tempus, quo ad id muneris subeundum profectus sum, et voluisse (immo oportuisse) me huius actus consuetudini inservire, ut scilicet apud maxime sapientes maxime delirarem et quasi temporaneum fatuum agerem. Quem si non egregie repraesentavi, in causa fuisse putabitis vestram negligen-20 tiam et inhumanitatem, qui tam multa dicenti de vino vinum bibere non dedistis.

Finis adest.
M. CCCCC. XVI.

In der Ausgabe von 1557 folgt hierauf noch:

RHYTMUS CODRI URCEI,
die divi Martini pronunciatus,

den hier aufzunehmen keine Veranlassung vorliegt.

LIBELLUS FORMULARIS

UNIVERSITATIS STUDII LIPCZENSIS

CONSCRIPTUS PER

IOHANNEM FABRI DE WERDEA.

Ut faceret sese doctor Werdea faventem
Gymnasio nostro contulit huncce librum,
Qui quamvis latuit iam sex absconditus annis,
Attamen in lucem prodiit e latebris:
Iunior haud passus Werdea latere libellum,
Cui fuit addictus, reddit Academiae,
Haynensis cum iam doctor Matthaeus honore
Rectoris zophiae claruit atque sacrae.

Τελος. 1506.

1 4 9 5.

1. MANDATUM RECTORIS PRO ELIGENDO NOVO RECTORE.

N. de N. artium magister etc. almae universitatis studii Lipczensis Rector: Mandat omnibus et singulis Magistris Doctoribus Licentiatis Baccalariis et studentibus universitatis eiusdem, Quatenus cras hora septima in curia praesentis (alias maioris) Collegii conveniant ad eligendum ac eligi videndum electumque pro- 5 nunciari audiendum novum Rectorem, Et inde non recedant nisi hiis finitis, Sub poena quatuor grossorum, universitati irremissibiliter persolvendorum. Datum Rectoratus sub sigillo.

2. MANDATUM PRO RECOMMENDANDO NOVO RECTORE.

Cras finito sermone apud Sanctum Nicolaum fiet recommendatio novi Rectoris, Ideoque mandat idem dominus Rector omni- 10 bus et singulis Magistris Doctoribus Licentiatis Baccalariis et studentibus huius universitatis, Quatenus cras tempore praescripto in lectorio ordinariarum disputationum praesentis Collegii (alias maioris Collegii) conveniant, Et recommendationi huiusmodi necnon consiliariorum, assessorum et iudicialium electioni decenter 15 habituati intersint, Et inde non recedant nisi hiis finitis, Sub poena quatuor etc. ut supra. [Bl. 7b]

3. MANDATUM PRO MISSA UNIVERSITATIS CELEBRANDA.

Mandat omnibus et singulis Magistris Doctoribus Licentiatis Baccalariis et studentibus universitatis eiusdem, Quatenus cras

hora .n. in ecclesia Sancti .N. conveniant, missae universitatis ibidem decantandae et sermoni inibi fiendo decenter habituati intersint, oblationem faciant et inde non recedant nisi hiis finitis, Sub poena quatuor gr. etc. ut supra.

4. MANDATUM PRO LECTIONE STATUTORUM.

Mandat omnibus et singulis Magistris etc., Quatenus cras hora duodecima in lectorio ordinariarum disputationum Collegii maioris praesentis conveniant ad audiendum legi ac publicari universitatis statuta, Et inde non recedant nisi hiis etc. ut supra.

5. FORMA CITATIONIS ALICUIUS STUDENTIS.

Nos .N. Tenore praesentium publice requirimus atque peremptorie citamus .N., dictae nostrae universitatis suppositum, Quatenus infra tres dies a datis praesentibus computandos coram nobis nostrisque assessoribus in loco nostrae solitae residentiae compareat, allegandis proponendis ac per nos obiiciendis legitime responsurum, Sub poena dimidii floreni universitati irremissibiliter persolvendi. Datum Rectoratus nostri sub sigillo. [8a] Anno domini etc. xc quinto, die vero Iovis, xii mensis Septembris.

6. FORMA MONITIONIS EX OFFICIO.

Nos .N. etc. Rector Tenore praesentium publice requirimus atque peremptorie primo monemus .N., dictae nostrae universitatis suppositum, Quatenus infra tres dies, huiusmodi nostrae monitioni parendo, nobis ac universitati nostrae pro inobedientia et poenis solvendis realiter et cum effectu satisfaciat, Aut coram nobis nostrisque assessoribus in loco nostrae solitae residentiae legitime compareat, allegaturum et docturum causas, si quas rationabiles habeat, cur ad praemissa non teneatur. Alioquin dicto monitionis termino effluxo ad eius exclusionem, contumacia minime obstante, procedemus. Datum Rectoratus nostri sub sigillo, Anno domini etc. ut supra.

7. AD INSTANTIAM PARTIS MONITIO.

Tenore praesentium Ad instantiam honorabilis (aut providi)

viri .N. publice requirimus etc. ut supra, Quatenus infra tres dies etc. praefato actori pro nonnullis confessatis ac liquidatis debitis effectualiter satisfaciat. Alioquin dicto monitionis etc. ut supra.

8. MANDATUM NOTIFICATORIUM RELEGATIONIS ALICUIUS.

Notificat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis per praesentia, .N. iam dictae universitatis [8b] suppositum pro- 5 pter multiplices suos excessus et demerita de communi consensu concordique sententia consiliariorum antedictae universitatis ad quinquennium esse relegatum. Ob hoc mandat idem dominus Rector omnibus et singulis huius studii suppositis, Quatenus nullum ipsorum iam dictum relegatum aut quoscunque tales hospitio 10 recipiat, mensa foveat, aut quovismodo eidem vel eisdem conversari praesumat, Sub poena x florenorum universitati irremissibiliter persolvendorum. Datum Rectoratus sub sigillo, Anno etc.

9. MANDATUM EXCLUSIONIS.

Nos .N. etc. Rector. Cum iuxta praefatae universitatis statutum, contra homicidas rationabiliter editum, quodlibet suppositum, 15 homicidium perpetrasse repertum, ne de malitia sua comodum reportet neve crimina maneant impunita, mox a corpore universitatis praedictae veluti membrum putridum excludi debeat et rescindi, Et .N. saepefatae universitatis membrum, poenam in huiusmodi statuto expressam ac alia, merito attendenda, minime 20 pensando, homicidium in persona quondam studiosi (seu discreti) .N. de .N. felicis memoriae temerario nuper perpetraverit ausu: Ideoque praememoratum .N. de .N. propter huiusmodi enormem excessum gravissimumque delictum de concordi sententia Magistrorum atque Doctorum supradictae universitatis ad hoc spe[9a]- 25 cialiter vocatorum a corpore eiusdem universitatis tamquam membrum putridum exclusimus et rescidimus, per praesentiaque a dicta nostra universitate publice excludimus et rescindimus, Mandantes omnibus et singulis Magistris Doctoribus Licentiatis Baccalariis et studentibus universitatis nostrae, ne cum dicto .N. excluso 30 in actibus scholasticis tam publicis quam privatis quomodolibet

conversari praesumant, Sub poena unius sexagenae novae, universitati irremissibiliter etc.

10. ALIUD MANDATUM EXCLUSIONIS.

Nos .N. etc. Rector. Licet .N. de .N. dictae nostrae universitatis suppositum propter poenam, quam ob nonnullos excessus
5 suos nuper incurrit, ad nos citari, saepe quoque ac saepius in valvis collegiorum et ecclesiarum primo 2° 3° et ex superabundanti 4° requiri et peremptorie moneri fecerimus, Quatenus infra certum tempus coram nobis nostrisque assessoribus compareret pro poenis nobis ac universitati nostrae cum effectu satisfacturus,
10 alioquin ad ipsius exclusionem procederemus, Licetque a dicto .N. sufficienter et satis diu satisfactionem expectaverimus, Ipse tamen in sua contumacia induratus satisfacere ac obedire minime curavit, Ideoque attentis praemissis, trina monitione praecedente, in congregatione [9b] universitatis ad hoc facta praefatum .N. a corpore
15 saepedictae universitatis tamquam membrum putridum exclusimus et rescidimus etc. ut in formula priori.

11. EXHORTATIO PRO ASSOCIANDO ALIQUO DOMINO LICENTIATO.

Hortatur omnia et singula tam graduata quam non graduata universitatis eiusdem supposita, Quatenus cras hora .n. in curia habitationis honorabilem dominum .N. de .N. conveniant ad asso-
20 tiandum venerabilem virum dominum .N. artium Magistrum et in iure canonico Licentiatum [am Rande: si fuerit theologus: vesperiatum] ad ecclesiam Sancti .N. pro insigniis doctoratus in eodem iure canonico inibi sollemniter suscipiendis, Consimilium operum reverentialis honorationis exhibitionem in adipiscendis ho-
25 noribus vicissim expectatura. Datum Rectoratus etc.

12. HORTATIO PRO FUNERE ALICUIUS SUPPOSITI CONDUCENDO.

Hortatur omnia et singula Nationis .N. supposita universitatis eiusdem, Quatenus hodie hora .n. in curia Collegii .n. (vel ante Collegium .n.) conveniant ad conducendum funus quondam discreti

.N. de .N. felicis memoriae ad ecclesiam Sancti .N. vigiliis ibidem decantandis et cras hora .n. missis pro eodem inibi celebrandis sese personaliter offerendo praesentent, Consimilium operum pietatis exhibitionem post funera sua gaudiosius expectatura. Datum Rectoratus sub sigillo. [10ᵃ] 5

13. MANDATUM PRO FUNERE MAGISTRI CONDUCENDO.

Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis, Quatenus hodie hora .n. etc. ut in formula priori.

14. MANDATUM DOMINI RECTORIS PRO SUSPENSIONE ACTUUM SCHOLASTICORUM.

Nos .N. etc. Rector Ex decreto communique consensu, concordi denique sententia Magistrorum et Doctorum antedictae nostrae universitatis omnes actus scholasticos propter certas violentias et 10 molestias, iamdictae universitati et suis suppositis iniuriose illatas, suspendimus, in hiis scriptis Mandantes omnibus et singulis Magistris Doctoribus Licentiatis et Baccalariis quarumcunque facultatum, ne aliquis in antea aliquem actum scholasticum coram nostrae universitatis suppositis publice exerceat, donec aliud per 15 universitatem fuerit diffinitum. Sub poena periurii, carentiae libertatum ac tuitionis universitatis. Datum etc.

15. RELAXATIO SUSPENSIONIS ACTUUM SCHOLASTICORUM.

Nos .N. etc. Rector Ad desiderium et beneplacitum reverendi in Christo patris et domini, domini .N. ecclesiae Merseburgensis Episcopi, iamdictae nostrae universitatis Cancellarii unici et dignis- 20 simi, domini nostri gratiosi (vel: Illustris principis et domini, domini .N. ducis Saxoniae, Landtgravii Dhüringiae [10ᵇ] et Marchionis Misznae, domini nostri gratiosi), omnes et singulos actus scholasticos proxime propter certas violentias et molestias, universitati et suppositis eius frivole illatas, suspensos iuxta nostrae 25 universitatis conclusum: eosdem in hiis scriptis relaxamus, Hortantes omnes et singulos Magistros Doctores Licentiatos et Baccalarios quarumcunque facultatum, Quatenus in antea ut prius omnes et singulos huiusmodi actus scholasticos secundum ritum

et laudabiles suarum facultatum consuetudines et statuta coram nostrae universitatis suppositis pro eorundem incremento diligenter exerceant et continuent. Sub poena carentiae acturegentiae ac emolumentorum universitatis. Datum Rectoratus etc.

16. MANDATUM DE BEANIS NON VEXANDIS VEL INIURIOSE OFFENDENDIS.

5 Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis, Quatenus nullum ipsorum deinceps aliquem ex hiis, qui sese in praesens oppidum et hanc almam academiam studii causa contulerunt, quos nonnulli beanos suo nomine compellitant, in foro plateis vicis collegiis bursis aliisve quibuslibet locis et signanter 10 in praesenti Collegio, quando ad ipsum immatriculationis causa ingredientur vel post immatriculationem egredientur, verbis iniuriosis of[11a]fendat, verberet, capillet, aqua seu urina perfundat, pulveribus atque aliis immundiciebus proiiciat vel defoedet, fistulando subsannet, horrendis vocibus acclamitet, vel modis quibus- 15 cunque corporaliter atque enormiter molestare praesumat. Sub poena .v. grossorum, universitati irremissibiliter etc.

17. MANDATUM DE NON RECIPIENDO NON IMMATRICULATOS VEL ALIARUM UNIVERSITATUM STUDENTES.

Mandat omnibus et singulis Magistris etc. Quatenus nullum ipsorum deinceps non studentes vel aliarum universitatum studentes, in matriculam huius universitatis nondum inscriptos, ad se 20 colligere vel ultra unius mensis spatium, a datis praesentibus computandum, hospitio receptare aut ipsis cohabitare seu in actibus scholasticis quomodolibet conversari praesumat Sub poena unius sexagenae novae, universitati irremissibiliter persolvendae. Sciantque tales non immatriculati, se comodis et libertatibus huius uni- 25 versitatis, si (quod absit) aliquid adversitatis ipsis per seculares evenerit, gaudere non posse, donec intitulati fuerint. Datum etc.

18. MANDATUM DE FRONDIBUS, GRAMINIBUS ETC. NON ABSCIDENDIS.

Mandat omnibus et singulis, tam graduatis quam non gra-

duatis, universitatis eiusdem suppositis, Quatenus nullum ipsorum incolis huius oppidi [11b] aut aliis quibuscunque per virgultorum, lignorum, arborum, frondium, segetum, graminum, frumentorum, pisarum aut quorumcunque fructuum seu terrae nascentium abscisionem, ablationem atque conculcationem damnum inferat, Nec 5 loca, **Rosental** et **Thiergarthen** vulgariter appellata, feras fugando aut alia illicita ibidem perpetrando subintret, Nec in fossatis seu aquis, et specialiter post castrum fluentibus, pisces prendat aut piscatoribus earundem quomodolibet damna seu molestias inferat, Vel in eisdem balneari praesumat. Sub poena unius sexagenae 10 novae, universitati etc.

19. MANDATUM DECANI PRO INTERESSENDO MISSAE ANTE QUODLIBETI INCEPTIONEM DECANTANDAE.

Mandat Decanus facultatis artium omnibus et singulis suppositis huius studii, in artibus promotis aut promoveri affectantibus, Quatenus cras hora .n. in ecclesia Sancti .N. decenter habituati conveniant et missae inibi ad laudem et honorem omnipotentis 15 Dei sollemniter decantandae et sermoni protunc fiendo intersint, sua vota ad totius sapientiae largitorem porrectura, ut quodlibetum, per venerabilem virum, dominum .N. quodlibetarium, instanti iam tempore disputandum et proxima die Iovis hora .n. inchoandum, utili conatu fructuosaque exercitatione omnibus huius studii 20 [12a] suppositis ad profectum consumari queat, utque ipse idem omnipotens Deus, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum, unicuique tunc praesenti sensum acuat, rationem dirigat ac illuminet intellectum, ut in eiusmodi philosophicae disceptationis palaestra auditorum ingenia, negligentiae vel ignorantiae 25 sopore torpentia, ad philosophicum excitentur studium, quatenus sic ecclesiastica respublica et haec alma academia ex tali scholastico tirocinio felici gaudeat incremento, Et inde non recedant, nisi missa et sermone huiusmodi finitis. Sub poena: sicut suo tempore volunt a dicta facultate artium consequi promotiones et 30 honores. Datum decanatus sub sigillo Anno etc.

20. MANDATUM DE NON VAGANDO CUM ARMIS POST PULSUM CAMPANAE PRAETORII ETC.

Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis, Quatenus nullum ipsorum nocturnali tempore post pulsum campanae praetorii, et signanter post signaturam horae nonae, in plateis vicis aut suburbiis praesentis oppidi cum gladiis, cutellis, 5 balistis aut aliis quibuscunque armis vagetur aut velata facie seu mutato habitu spacietur, clamores horribiles sive cantus insolitos in eisdem excitet, [12b] seu aliquem verbo vel facto offendat. Sub poena unius floreni vel sexagenae novae etc.

21. MANDATUM PRO TRIUMPHO ROGANDO.

Mandat omnibus et singulis Magistris Doctoribus etc., Qua- 10 tenus cras hora .n. in ecclesia Sancti .N. decenter habituati conveniant et missae inibi ad laudem et honorem omnipotentis Dei sanctaeque et individuae Trinitatis sollemniter decantandae intersint, preces suas ad dominum Deum porrecturi, Ut expeditionem, per illustrem principem et dominum, dominum .N. ducem Saxo- 15 niae etc. huius almae universitatis fundatorem magnificentissimum, contra suos adversarios et eorum in hac parte complices inceptam, salubriter et prospere dirigat, ipsumque dominum ducem praememoratum una cum tota sua familia et comitiva illaesos salvos et incolumes gratiosus conservet et custodiat, Ac victoriam eidem 20 contra dictos hostes suos concedat, pacem denique et tranquillitatem largiatur. Oblationem protunc faciant et inde non recedant nisi missa huiusmodi finita. Sub poena unius floreni etc.

22. MANDATUM PRO MISSA UNIVERSITATIS OB NOVUM PRINCIPEM GENITUM DECANTANDA.

Mandat omnibus et singulis etc., Quatenus cras hora .n. in ecclesia Sancti .N. conveniant et missae universitatis ibidem ad 25 laudem et [13a] honorem cunctipotentis Dei gloriosissimaeque virginis matris Mariae ob novi principis huius terrae et patris gaudiosam procreationem sollemniter decantandae et sermoni inibi fiendo decenter habituati intersint, oblationem faciant et inde

non recedant nisi hiis finitis. Sub poena quatuor grossorum etc.

23. MANDATUM DE SUTORIBUS FACEM HALLENSEM DEFERENTIBUS NON OFFENDENDIS.

Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis, Quatenus hoc sero diebusque et noctibus sequentibus, dum sutores iuxta ritum suum faces ardentes, quas lumen Hallense vocitant, per vicos et plateas huius oppidi circumferent, In suis habitationibus et stantiis sese contineant ipsosque in suis consuetis sollemnitatibus, sive faces circumferendo sive choreas ducendo, nequaquam impediant, perturbent sive quovis modo molestent, verum potius eos ipsos huiuscemodi suos ritus pacifice et quiete peragere permittant. Sub poena unius sexagenae novae etc.

24. MANDATUM TEMPORE DELATIONIS CANDELARUM MAGISTRANDORUM INTIMANDUM.

Mandat etc. Quatenus nullum ipsorum hoc vespere, dum candelae dominorum magistrandorum in artibus iuxta antiquam et laudabilem [13b] huius universitatis consuetudinem sollemniter circumferentur, In plateis vicis collegiis aut bursis clamores horribiles suscitare, arma deferre seu alia quaecunque illicita, propter quae universitas antedicta inquietari posset, exercere praesumat. Sub poena trium florenorum, universitati etc.

25. MANDATUM PRO SALLARIO CONVENTORUM, LIGNALIBUS ET PUNCTIS SOLVENDIS.

Mandat omnibus et singulis bursalibus paedagogium hoc immorantibus ac ad iura bursalium inibi ratione stantiae astrictis, quatenus conventoribus eiusdem pro sallario, lignalibus et punctis infra triduum, a datis praesentibus computandum, realiter et cum effectu satisfaciant, sub poena .v. grossorum, irremissibiliter persolvendorum. Qui vero. huiusmodi mandato non parentes, ipsis infra praescriptum terminum satisfacere haud curaverunt, proxima die .n. coram praememorato domino Rectore in loco suae solitae residentiae legitime compareant, poenam huiusmodi persoluturi,

aut causas rationabiles, si quas habeant, cur huiuscemodi satisfactionem contumaciter negligant, allegaturi. Alioquin termino praefixo transacto ad eorum monitionem publicam, in valvis collegiorum atque ecclesiarum fiendam, ipsorum contumatia vel non 5 satisfactione minime obstante, procedet. [14a] Datum Rectoratus etc. Anno domini etc.

26. MANDATUM DE NON OFFENDENDO ALIQUEM PER CURIAM PAEDAGOGII PERTRANSEUNTEM.

Cum universis et singulis huius oppidi incolis ac etiam exteris ius libere eundi per curiam praesentis paedagogii hactenus concessum esse dinoscatur, Ideoque .N. etc. Rector Mandat omni- 10 bus et singulis, tam graduatis quam non graduatis, suppositis praedictum paedagogium immorantibus, Quatenus nullum ipsorum quempiam ibidem pertranseuntem aut die noctuque pertransire volentem verbo vel facto offendat, urina vel aliis liquoribus perfundat, pulveribus aut aliis immundiciebus proiiciendo defoedet, aut quovis 15 alio modo molestare vel offendere praesumat. Sub poena unius sexagenae novae etc.

27. MANDATUM DE VESTITU INDECENTI NON PORTANDO.

Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis, quarumcunque facultatum extiterint, Quatenus nullum ipsorum deinceps in habitu inhonesto seu indecenti, vestibus videlicet non 20 cinctis, aut tunica vel pallio lateraliter aperto, nimia brevitate notatis, aut strictis manicis usque ad scapulas sive cubitum semiapertis, collerio cancellato vel in dorsum [14b] nimis exsciso aut parte anteriori totaliter aperto, pectorali effoeminato, pileo laicali, caputiolo petiato aut calceis rostratis sive diversorum colorum, aut 25 quocunque alio illicito et indecenti habitu, tam in locis universitatis quam in [collegiis unterstrichen, d. h. getilgt] plateis incedere praesumat. Sub poena .x. grossorum, universitati tociens quotiens contra factum fuerit irremissibiliter persolvendorum. Datum etc.

28. MANDATUM DE CONSPIRATIONIBUS VEL CONVENTICULIS NON FACIENDIS.

Mandat omnibus et singulis etc. Quatenus nullum ipsorum, sub quacunque specie boni, palam vel occulte, sive in collegiis sive extra, conventicula conspirationes aut quamcunque aliam illicitam convocationem, unde universitati scandala damna inquietationes atque pericula suboriri possent, facere aut procurare praesumat, Sub poena periurii, quam ipso facto contrafaciens incurrit, et centum florenorum, universitati irremissibiliter persolvendorum. Si quis vero ausu temerario notabilem conspirationem aut huiusmodi illicitam conventionem procuraverit aut procurari fecerit, maiori poena, videlicet perpetui carceris vel consimili, per universitatem contra taliter excedentem dictanda veniet puniendus. Datum Rectoratus etc.

29. MANDATUM EXCLUSIONIS QUORUNDAM RELEGATORUM INFRA TEMPUS RELEGATIONIS REDEUNTIUM. [15ᵃ]

Nos .N. etc. Rector. Quamquam .N. et .N. nostrae universitatis studentes propter sua patentia demerita notabilesque excessus de communi consensu concordique sententia Magistrorum consiliariorum a nostra alma universitate ad certum tempus iuste fuerint relegati, ipsi tamen, non attenta poena statuti contra redeuntes rationabiliter editi, infra tempus suae relegationis frivole ac ausu temerario ad praesens oppidum ac studium redire non formidarunt, Ideoque vigore huiusmodi statuti sine ulteriori citatione convocatione ac monitione praefatos .N. et .N. a corpore et gremio antedictae universitatis tamquam membra putrida per praesentia publice rescindimus et excludimus, Mandantes omnibus et singulis universitatis nostrae suppositis, ne cum praememoratis .N. et .N. exclusis in actibus scholasticis publice conversari praesumant. Sub poena etc.

30. MANDATUM DE STANDO IN LOCIS APPROBATIS.

Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum deinceps in aliquo alio loco quam in collegiis seu bursis per universitatem

approbatis, ibidem secundum iura bursalium vivendo, habitare seu morari praesumat, aut de novo bursam sive domunculam inhabitandam acceptet [15b], Sub poena unius floreni, universitati tociens, quotiens ultra mensem, a datis praesentibus computandum,
5 in huiusmodi locis non approbatis steterit, irremissibiliter persolvendi. Si vero aliquod suppositum in collegiis seu bursis approbatis ob certas rationabiles et legitimas causas comodose stare vel morari nequiverit, illud dominum Rectorem de qualitate et legitimitate causarum huiusmodi instruat et certificet, ab eodemque
10 dispensationem sive indultum de stando extra huiusmodi approbata loca cum extorsione signeti effectualiter impetret et obtineat, poena sub praemissa tociens quotiens contrarium facere praesumpserit. Datum Rectoratus etc. Anno etc.

31. MANDATUM DE NON INTERESSENDO DISPENSATIONI MORUM BACCALARIANDIS FACTUM.

Ex concordi consensu atque commissione dominorum docto-
15 rum omnium facultatum antedictae universitatis Mandat omnibus et singulis baccalariandis, pronunc promoveri cupientibus, districtius inhibendo, Quatenus iuramenti, tempore immatriculationis suae praestiti, memores, nullus ipsorum hodie aut deinceps dispensationi morum interesse aut sese examini quovis modo sub-
20 mittere praesumat, quoadusque causae, inter [16a] dictos dominos Doctores ex una et Magistros de consilio facultatis artium partibus ex altera vertentes, plene totaliterque discussae fuerint. Sub poena periurii, quod contrafaciens ipso facto incurrit, et .x. florenorum, universitati etc.

32. MANDATUM DE NON VAGANDO NOCTURNO TEMPORE, VASALLIS PRINCIPUM AC CIRCULATORIBUS NON OFFENDENDIS.

25 Quia illustrissimi ac humanissimi duces Saxoniae, praefatae universitatis fundatores magnificentissimi, pro communi sui territorii utilitate nunc et in futurum in castro praesentis oppidi suam moram et residentiam habere statuerunt, Ideoque, ut iuxta desiderium praedictorum illustrissimorum ducum variis suppositorum

insultibus molestationibus insolentiis inquietationibus aliisve quibuslibet excessibus, unde ipsos aut in corpore laedi aut rebus damnificari, universitatemque ipsam (quod absit) inquietari verendum est, mandatis statutis sive edictis poenarumque comminationibus ac executionibus diligentius obvietur, Mandat idem dominus Rector, 5 districtius inhibendo omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis, Quatenus nullum ipsorum deinceps serotino tempore post pulsum campanae praetorii in plateis vicis aut [16b] suburbiis praesentis oppidi gladiis sive aliis quibuscunque armis vagando discurrat vel spacietur, neque clamores horribiles seu can- 10 tus clamorosos et insolitos in eisdem suscitet, aut aliquem ex vasallis clientibus vel familiaribus praefatorum dominorum ducum ubilibet constitutis palam vel occulte iniuriis seu contumeliis afficiat aut quomodolibet verbo vel facto offendat, neque circulatores civitatis huius, ex commissione praememoratorum dominorum du- 15 cum circa vel post praescriptum tempus custodiam seu vigiliam circa collegia bursas aut alibi circumeundo tenentes, quibuscunque offensionibus molestet. Sub poena incarcerationis aut relegationis iuxta consilii et assessorum diffinitionem, ultra poenam in statutis de et super huiusmodi excessibus prius fulminatas et expressas. 20 Datum Rectoratus sub sigillo. Anno etc.

33. MANDATUM DE NON ASCENDENDO CASTRUM, PARIETESQUE EIUS NON DETURPANDO.

Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum deinceps sine rationabili et legitima causa castrum praesentis oppidi, ubi iamiam illustrissimi duces Saxoniae resident atque morantur, ascendat neque parietes domuum, [17a] murorum sive habitationum prae- 25 fati castri intra vel extra figurando, scribendo vel quovis modo pingendo foedare seu deturpare praesumat. Sub poena unius floreni, universitati etc.

34. MANDATUM DE NON INCEDENDO LARVATA FACIE, CLAMORIBUSQUE NON EXCITANDIS.

Mandat omnibus etc. districtius inhibendo, Quatenus nullum ipsorum deinceps die vel nocte habitu mutato, facie velata seu 30

larvata ostiatim plateatimve discurrat, aut arma deferat, sive clamores horribiles excitet, propter pericula, quae hiis temporibus a nonnullis dissolutis ac scurrilibus personis in corporum aut rerum dispendium possent facilius attentari. Sub poena trium floreno-
5 rum ultra incarcerationis poenam, per decuriones huius oppidi contra taliter incedentes rationabilibus (uti praesumitur) ex causis nudius fulminatam et indictam, universitati irremissibiliter persolvendorum. Datum etc.

35. MANDATUM PRO CONDUCENDO FUNUS QUONDAM ILLUSTRISSIMAE PRINCIPISSAE AC DOMINAE ETC.

Mandat omnibus et singulis Magistris Doctoribus Licentiatis etc.
10 Quatenus hodie hora .n. ante castrum huius oppidi conveniant, ad [17b] conducendum funus quondam illustrissimae principissae ac dominae .N. natae ex Bavaria, ducissae Saxoniae, lantgraviae Thuringiae ac marggraviae Misznae, dilectissimae conthoralis illustrissimi ac humanissimi principis et domini, domini Ernesti, sa-
15 crosancti Romani imperii archimarschalci et electoris etc. Ad ecclesiam Sancti .N. vigiliis ibidem decantandis, et cras hora .n. missis pro eodem inibi celebrandis sese personaliter offerendo precesque quam devotas pro anima praefatae dominae ducissae ad patrem misericordiarum porrectando praesentent, nec inde re-
20 cedant nisi hiis finitis. Sub poena obedientiae. Datum Rectorutus etc. 1484.

36. MANDATUM DE FAMILIARIBUS PRINCIPUM ET ALIORUM MAGNATUM NON OFFENDENDIS.

Mandat omnibus etc. districtius inhibendo, Quatenus nullum ipsorum aliquem ex vasallis, clientibus seu familiaribus illustrissimorum dominorum ducum Saxoniae ac aliorum dominorum sive
25 magnatum, hiis diebus in praesens oppidum adventurorum, ubilibet constitutis, palam vel occulte iniuriis irrisionibus inclamationibus seu aliis quibuslibet contumeliis afficiat, aut quomodolibet verbo vel facto iniuriose offendat, neque insultus [18a] aut quaslibet alias insolentias excitare seu quoscunque excessus perpetrare prae-
30 sumat. Sub poena decem florenorum aut relegationis, ultra poenas,

prius in statutis universitatis de et super huiusmodi excessibus indictas, universitati irremissibiliter persolvendorum. Datum etc.

37. MANDATUM PRO OBVIANDO CONDUCENDOQUE ALIQUEM LEGATUM PAPAE.

Mandat omnibus et singulis Magistris etc. Quatenus hodie hora .n. in curia Collegii .n. decenter habituati conveniant ad audiendum et videndum ordinationem personarum huius universitatis, pro sollemni venerandaque obviatione et conductu reverendissimi in Christo patris et domini, domini .N. legati de latere per Sanctissimum etc. dominum nostrum .N., divina providentia papam octavum, in certis causis statum sacrosanctae Romanae ecclesiae concernentibus ad hanc patriam missi, crastina luce processionaliter fiendam. Sub obedientiae poena. Datum Rectoratus sub sig. etc.

38. MANDATUM, NE ALIQUIS NOCTURNO TEMPORE VAGETUR, ALIQUID ILLICITI PERPETRANDO.

Mandat omnibus etc. districtius inhibendo, Quatenus nullum ipsorum deinceps serotino tempore post nonam in aestate, in hieme [18b] vero post octavam horam in plateis atque ante collegia vel bursas spatiando sive vagando vadat, neque clamores horribiles atque cantus clamorosos in eisdem suscitet, neque arma deferat seu pixidibus aut bombardis quemquam sagitando perterreat vel offendat, neque famulos civitatis, circa vel post pulsum campanae praetorii pro custodia circumeuntes, irrisionibus inclamationibus proiectionibus aut aliis quibuslibet iniuriis molestet vel offendat, aut alias insolentias sive quaslibet exorbitancias excitare praesumat. Sub poena unius sexagenae novae, universitati irremissibiliter etc.

39. MANDATUM, NE ALIQUIS OPPONENTEM VEL RESPONDENTEM ETC. IN SEROTINA DISPUTATIONE IMPEDIAT.

Mandat omnibus et singulis suppositis, praesens Collegium vel Paedagogium immorantibus vel illud studii seu alia quacunque causa visitantibus, Quatenus nullum ipsorum in disputatione sero-

tina opponentem, respondentem vel arguentes pulsationibus, clamoribus, submurmurationibus, confabulationibus, irrisionibus vel quovis alio modo turbare seu impedire praesumat, neque alium vel alios ad soleas ducat aut duci faciat vel sic ducentes quo-
5 modolibet adiuvet. Sub [19a] poena .v. grossorum.

40. MANDATUM PRO MISSA UNIVERSITATIS PRO SALUBRI STATU SUMMI PONTIFICIS CELEBRANDA.

Mandat omnibus et singulis Magistris etc. Quatenus cras hora .ii. in ecclesia Sancti .N. conveniant et missae universitatis protunc ob exhortationem sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Innoc., divina providentia papae octavi, praefatae
10 universitati nunciis et litteris apostolicis singulariter factam et transmissam, Ad laudem et honorem sancti spiritus, Quatenus altissimus gloriosusque Deus praememorato sanctissimo praesuli uberiorem gratiam ad regendum ecclesiam suam sanctam benignius largiatur, ibidem sollemniter decantandae et sermoni inibi fiendo
15 decenter habituati intersint, oblationem faciant orationesque suas pro salubri praefati sanctissimi antistitis statu sanctaeque matris ecclesiae, pastorali eius fidei creditae, felici incremento humiliter atque devoti ad Altissimum, omnium bonorum datorem, porrigant, et inde non recedant nisi hiis finitis. Sub obedientiae poena.
20 Datum Rectoratus etc.

41. EXHORTATIO DOMINI RECTORIS PRO INTERESSENDO PROMULGATIONI PRIVILEGIORUM ALICUIUS ORDINIS. [19b]

Quoniam ex indulgentia et concessione reverendi in Christo patris et domini, domini Tilonis episcopi Merseburgensis, antedictae universitatis cancellarii unici et dignissimi, Quidam devotus, pater ordinis servorum sanctae Mariae, natione Italus, per reverendissi-
25 mum patrem generalem praefati ordinis servorum etc., in et ad has Germaniae partes missus, in hac alma universitate, oratione ad clerum praehabita, supradicti ordinis privilegia promulgare decrevit ac publicare, Eapropter hortatur idem dominus Rector omnia et singula universitatis eiusdem supposita, Quatenus hodie
30 hora .n. in lectorio ordinariarum disputationum Collegii .N. con-

veniant ad audiendum legi ac publicari saepe memorati ordinis privilegia. Datum Rectoratus etc.

42. MANDATUM PRO INTERESSENDO PROMULGATIONI QUARUNDAM INDULGENTIARUM.

Mandat omnibus etc. Quatenus cras hora .n. in ecclesia Sancti .N. conveniant ad audiendum publicari ac promulgari quasdam sacratissimas indulgentias per reverendum dominum .N., pro- 5 thonotarium apostolicum, et ad interessendum processioni [20a] post publicationem huiuscemodi sacratissimarum indulgentiarum sollemniter fiendae, necnon ad videndum erigi crucem in praefata Sancti .N. ecclesia. Sub poena quatuor grossorum, universitati etc. 10

43. MANDATUM PRO INTERESSENDO SERMONI SIVE COLLATIONI CUIUSDAM PROTHONOTARII.

Quia venerabilis dominus .N., sacrae theologiae Baccalarius formatus commissariusque reverendi patris, domini Raymundi Peraudi, sanctae sedis apostolicae prothonotarii necnon ecclesiae Xanctonensis decani, hodie peracto prandio in lectorio ordinariarum disputationum Collegii praesentis facturus habiturusque est 15 sermonem seu collatiunculam ad clerum, Ideo .N. Rector hortatur omnes et singulos Magistros Doctores Licentiatos etc. Quatenus hodie loco et tempore praememoratis conveniant ad interessendum huiusmodi sermoni seu collatiunculae, protunc (uti praemittitur) ad clerum fiendo vel fiendae. Datum etc. 20

44. MANDATUM PRO BURSAE POSITIONE.

Ex commissione specialique mandato reverendi [20b] in Christo patris et domini, domini Tilonis, insignis Merseburgensis ecclesiae praesulis, huius almae universitatis cancellarii unici et dignissimi, .N. de .N. etc., dictae universitatis Rector, Mandat omnibus et singulis quorumcunque collegiorum sive quarumcunque bursa- 25 rum approbatarum conventoribus atque suppositis, inibi ratione stantiae ad iura bursalium astrictis, Quatenus unusquisque in eo collegio aut ea bursa, ubi stantiam habuerit, crastina die bursam

iuxta ordinationem praememorati domini Merseburgensis necnon dominorum executorum, per universitatem deputatorum, ponere incipiat. Sub poena unius floreni, universitati irremissibiliter persolvendi. Et si aliquod suppositum in collegio aut bursa per universitatem approbata non steterit, mox sese ad huiusmodi locum recipiat, poena sub praemissa tociens, quotiens contrarium fecerit, hebdomadatim universitati irremissibiliter persolvenda. Datum Rectoratus etc.

45. MANDATUM PRO SOLUTIONE DUORUM GROSSORUM AD CANDELAS DANDORUM.

Mandat omnibus et singulis, tam graduatis quam non graduatis, universitatis eiusdem suppositis Nationis .n. Quatenus quodlibet ipsorum praesenti exhibitori vel exhibitoribus [21a] duos grossos novos pro reformatione seu innovatione candelarum dictae Nationis, ad honorem Dei deputatarum (si saltem prius non dederit) infra triduum, a datis praesentibus computandum, realiter et cum effectu persolvat. Sub poena quatuor grossorum, universitati irremissibiliter persolvendorum. Datum Rectoratus etc. Anno etc.

46. MANDATUM DE RELEGATIS VEL EXCLUSIS NON RECEPTANDIS.

Ex commissione etc. .N. Rector Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum relegatum vel relegatos, exclusum vel exclusos hospitio recipere, mensa fovere, conducere, associare, in oppidis, villis aliisve circumiacentibus locis degentem vel degentes visitare, vel de hiis, quae in hoc oppido et praecipue in hac academia geruntur et fiunt, certificare, aut cum eisdem vel aliquo eorum quomodolibet commercium habere seu conversari praesumat. Sub poena relegationis vel .x. florenorum etc. Datum etc.

47. MANDATUM DE BEANIS NON VEXANDIS IN PROCESSIONE CORPORIS CHRISTI.

Mandat etc. Quatenus nullum ipsorum eos, qui in praesens oppidum studii causa adveniunt (quos suo nomine beanos appellant) [21b] in foro, plateis, vicis aliisve quibuslibet locis, et signanter

in statione seu processione, crastina luce per christifideles, venerabilissimum corporis dominici sacramentum conducendo veneraturos, sollemniter fienda, palam vel occulte molestet, contumeliis aut iniuriis afficiat, seu modis quibuscunque corporaliter offendere praesumat, nec ipsis aut alicui ipsorum serta, si qua more laudabili in capitibus detulerint, auferat, deponat seu laceret, aut aliquod illiciti, propter quod christifidelium devotio vel minuatur vel perturbetur aut etiam scandalum inter eos suboriatur, protunc exercere praesumat. Sub poena unius floreni, universitati etc. 5

48. MANDATUM DE PURGATORIBUS CLOACARUM NON OFFENDENDIS.

Mandat omnibus etc. praesens Collegium (sive hanc bursam) immorantibus vel ibidem ex quacunque causa intrantibus, Quatenus nullum ipsorum purgatores cloacarum (quorum labor utilis ac necessarius esse conspicitur) ex habitationibus suis aut undecunque inclamare, subsannare, affistulare, laedere, percutere, proiicere aut quomodolibet conturbare vel iniuriis afficere praesumat. [22a] Sub poena trium florenorum, universitati irremissibiliter persolvendorum, aut incarcerationis per unum mensem. Datum etc. 10 15

49. MANDATUM, TEMPORE CARNISPRIVII INSINUANDUM, NE LARVATUS QUIS INCEDAT.

Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum hoc carnisprivìali tempore larvis aut vestibus rusticis seu habitu mutato indutus per vicos plateas aut domos civitatis hincinde vagando discurrat, neque clamores horribiles aut cantus clamorosos et insolitos in eisdem suscitet aut globos aereos, gladios vel cuspides seu quaecunque alia arma secum deferat, nec aliquem verbo vel facto iniuriose offendat, aut quaecunque alia illicita, propter quae universitas inquietari posset, perpetrare praesumat. Sub poena trium florenorum etc. aut incarcerationis per unum mensem. Datum etc. 20 25

50. MANDATUM PRO CONSPIRATIONIBUS NON FIENDIS.

Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum conventicula

seu conspirationes (quibus pax et concordia violatur) faciat aut illis quomodolibet interesse praesumat, [22b] neque etiam aliquem vel aliquos ad has faciendas directe vel indirecte inducat seu quovis modo alliciat, sub poena per universitatem dictanda et
5 contrafacientibus infligenda. Si vero aliquod suppositum universitatis sese in quacunque causa gravatum senserit aut reputaverit, illud idem dominum Rectorem intrepide accedat, et eidem causa gravaminis huiusmodi proposita, de pace talisque gravaminis sublatione salubriter providebit, vel saltem ei per consilium univer-
10 sitatis, si opus fuerit, provideri vigilanter procurabit. Datum etc.

51. MANDATUM DE COLLEGIIS SEROTINO TEMPORE DEBITIS HORIS CLAUDENDIS ET NON VAGANDO POST CLAUSURAM EORUM.

Cum nuper per consilium universitatis concorditer conclusum fuerit, quod collegia et bursae per universitatem approbatae ob certas rationabilesque ac urgentes causas serotino tempore ante horam nonam per conventores et rectores praedictorum locorum
15 claudi debeant et serari, Eapropter ex decreto praefati consilii .N. etc. Rector Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem etc. Quatenus nullum ipsorum deinceps post praescriptam horam nonam absque rationabili et legitima causa in plateis vel [23a] vicis praesentis oppidi vagari praesumat, verum potius praescripto tem-
20 pore, ne periculum seu damnum aliquod incurrat, in loco suae habitationis sive stantiae sese contineat. Sub poena unius floreni etc.

52. MANDATUM DE ARMIS NON PORTANDIS, HABITU NON MUTANDO LUDISQUE NON EXERCENDIS.

Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum deinceps in plateis vel vicis huius oppidi gladios, cultellos, pugiones aut quae-
25 cunque alia arma deferat, vel mutato habitu seu facie velata praedictis in locis vadat, vel clamores horribiles more onagrorum nocturnis temporibus excitet, nec ludos illicitos exerceat vel in tabernis praesentis oppidi aut villarum seu suburbiorum eidem oppido circumiacentium latitare, aut quaecunque illicita inibi per-
30 petrare studeat, nec etiam incolas huius oppidi aut quoscunque

alios vel in personis vel rebus molestare seu damnificare praesumat, nec iniuriis quibuscunque afficere audeat. Sub poena unius floreni etc.

53. MANDATUM DE SUSPENSORE NON OFFENDENDO.

Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum deinceps executorem iustitiae, quem lictoris [23b] nomine quidam appel- 5 lant, dum reum aliquem per sententiam morti addictum poena iniuncta afficere temtaverit, in exercitio actibusque suis quovis modo impediat, vel, si in exequendo opus suum negligens aut imprudens repertus fuerit, percutere, iacere, vulnerare vel occidere praesumat, nec ipsum iudicandum (si casu aufugerit vel evaserit) 10 defendere, conducere, protegere vel receptare studeat. Sub poena relegationis. Datum etc.

54. MANDATUM DE MINISTRIS PRANDII ARISTOTELIS NON IMPEDIENDIS VEL OFFENDENDIS.

Mandat omnibus etc. Quatenus crastina luce post actum recommendationis dominorum Magistrandorum in collegiis ac bursis suarum habitationum sive stantiarum sese contineant, nec convivas 15 prandii Aristotelis ac ipsorum ministros in vel extra locum, ubi dictum habebitur prandium, quovis modo impediant, molestent, conturbent, seu verbis aut factis iniuriose quomodolibet offendant, nec etiam dictis ministris inter apportandum et deportandum cibaria et potagia aliquid e manibus, scutellis seu poculis violenter 20 tollere rapereque praesumant. Sub poena unius floreni etc.

55. MANDATUM DE NON OFFENDENDO CONVIVAS AUT EORUM MINISTROS POST VESPERIAS. [24a]

Mandat omnibus etc. Quatenus hoc vesperi post actum vesperiarum, pro dominis sacrae theologiae Licenciatis in lectorio ordinariarum disputationum Collegii .n. iamiam celebrandum, ad collegia vel bursas suarum habitationum sive stantiarum sese recipiant, 25 et ibidem sese contineant, nec Magistros, Doctores aliosque hospites, ad dictarum vesperiarum collationem invitatos, in vel extra stubam .N., ubi talis collatio vel refectio habebitur, quovis modo

impediant, molestent seu offendant, nec etiam ministris eorundem hospitum inter apportandum et deportandum confectiones et potagia aliquid e lancibus vel poculis tollere seu rapere vel quomodolibet iniuriari praesumant. Sub poena unius floreni etc.

56. MANDATUM DE NON CONDUCENDO CUM ARMIS VEL CLAMORIBUS RECEDENTES.

5 Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum deinceps studentem vel studentes, ex hoc oppido repatriandi vel alia causa recedentem seu recedentes, cum gladiis, cuspidibus aliisve armis, quocunque nomine ea appellari contigerit, aut velata facie conducere vel inter conducendum clamores horribiles excitare seu 10 cantilenas inhonestas per vicos et plateas vagando decantare, vel quaecunque alia illi [24b] cita indecentiaque extunc perpetrare praesumat. Sub poena unius sexagenae novae etc.

57. FORMA CITATIONIS ALICUIUS SUPPOSITI.

Nos .N. Rector Tenore praesentium publice requirimus atque peremptorie citamus .N. et .N. dictae nostrae universitatis studen-15 tes, Quatenus infra tres dies, huiusmodi nostrae requisitioni ac citationi parendo, coram nobis nostrisque consiliariis et assessoribus in nostrae solitae residentiae aut alio eis assignando loco personaliter compareant, obiiciendis per nos ac proponendis veritatis interventu responsuri, se quoque de et super nonnullis ex-20 cessibus per eos (uti vehementer praesumitur et suspicatur) perpetratis legitime ac canonice expurgaturi, aut poenas, si se super huiusmodi excessibus obiiciendis legitime non purgaverint aut purgare nequiverint, effectualiter persoluturi. Alioquin dicto citacionis termino effluxo ad eorum relegationem aut aliam condignam 25 poenam, iustitia mediante, procedemus, ipsorum rebellione et contumacia minime obstantibus. Datum Rectoratus etc.

58. MANDATUM DE NON LUDENDO IN CAMPIS PRO PECUNIA. [25a]

Mandat omnibus etc. Quatenus nullum ipsorum deinceps in rubetis, campis, areis, agris, viis publicis aut quibuscunque locis et praecipue post aedem divi Iohannis cum studentibus vel laicis

pro pecunia ludere praesumat, nec etiam meretrices ad dicta loca secum ducat vel cum eisdem illac vadat aut ipsis impudenter sese ibidem associet. Sub poena unius floreni etc.

59. FORMA RECOGNOSCENDI ALIQUEM LIBRUM AUTENTICUM EX ARCHIVO RECEPTUM.

Nos .N. Rector Tenore praesentium publice recognoscimus profitentes praesentem librum, .N. communiter nuncupatum, esse et 5 fuisse verum et originalem librum statutorum (vel conclusorum et actorum) universitatis praedictae, ex archivo quoque iamdictae universitatis receptum, in eundemque reponi solitum, ab initio denique sui et semper fuisse ac hodie esse autenticum, eidemque semper plenariam fidem adhibitam fuisse ac in praesenti plenam 10 ei adhiberi fidem. In cuius rei evidens testimonium nostri Rectoratus sigillum praesenti nostrae recognitioni subimpressimus. Datum Anno etc.

60. ALIA FORMA RECOGNOSCENDI LIBRUM AUTENTICUM. [25b]

Nos .N. Artium Magister, facultatis earundem artium Decanus, ceterique Magistri in dicta facultate actu regentes Tenore prae- 15 sentium publice recognoscimus profitentes, praesentem librum, communiter librum conclusorum et actorum facultatis artium appellatum, ex archivo iamdictae facultatis receptum in eodemque semper reponi solitum, ab initio denique sui et semper fuisse autenticum, donec per Nicolaum Schreiter de Koburgk, assertum 20 Magistrum, in multis locis per quorundam recte et vere inscriptorum deletionem et cancellationem, unius folii excisionem et duorum foliorum conbituminationem vitiatus ac falsificatus extitit, prout idem Nicolaus Koburgk coram omnibus et singulis magistris, in consilio supradictae facultatis consiliariter congregatis, confessus 25 fuit, praesenti insuper libro ante huiusmodi sui falsificationem fidem plenariam adhibitam fuisse. In cuius rei fidem ac evidens testimonium sigillum saepedictae facultatis nostrae praesenti recognitioni subimpressimus. Datum Anno Domini Millesimo etc.

61. HORTATIO DECANI PRO HONESTO MODO SEDENDI IN PRANDIO ARISTOTELIS.

Quia discretio mater omnium virtutum artiumque esse perhibetur, bonaeque dispositionis comitas et ordo docente experientia quos [26a] libet actus decoros reddit et honorificos: ob hoc Decanus facultatis artium ex decreto consilii magistrorum iamdictae
5 facultatis Hortatur omnes et singulos magistros ceterosque convivas, ad prandium Aristotelis nuper invitatos et crastina (vel hodierna) luce ad idem convivandi causa venturos, Quatenus inter loca sedendi recipiendum sese decenter habere ac iuxta sui gradus, dignitatis et aetatis ordinem loca in mensis accipere dignentur,
10 ne inordinata locorum occupatio indiscretaque convivantium sessio dictae facultati dedecus, ipsis quoque loca sic sine ordine occupantibus ruborem ac confusionem coram ceteris discumbentibus pariat. Datum Decanatus sub sigillo.

62. FORMA CITANDI MAGISTRUM HEINRICUM ROCHLITZ AD AUDIENDUM LEGI LITTERAS PRINCIPIS.

Nos .N. Rector Tenore praesentium de et ex commissione
15 concordique sententia et decreto praefatae nostrae universitatis, proxima die Saturni ad hoc specialiter convocatae, vos, Heinricum Rochlitz, artium magistrum, vigore quarundam litterarum illustris principis et domini, domini Georgii, ducis Saxoniae etc., ex parte vestri ad praefatam nostram universitatem nuper missarum, pu-
20 blice ac peremptorie citamus et requirimus, Quatenus [26b] infra sex dies, ab insinuatione praesentis computandos, coram nobis in oppido Lipczk in loco nostrae solitae residentiae personaliter compareatis ad audiendum legi vobis ac publicari praefatas ducales litteras, ad significandum denique vobis praefati domini ducis
25 mentem et voluntatem, ne praetextu ignorantiae continentiae earundem litterarum et mentis antefati domini principis poenam aliquam vos incurrere contingat. Sub poena perpetuae exclusionis a corpore nostrae universitatis, quam vobis, si praesentibus non parueritis, cum effectu de mandato dicti domini ducis infligere

cogemur. Datum Rectoratus nostri sub sigillo Anno domini 1491, die vero Iovis, undecima mensis Iulii.

63. MANDATUM NOTIFICATORIUM RELEGATIONIS ALICUIUS SUPPOSITI VEL SUPPOSITORUM.

Quia .N. et .N. dictae meae universitatis supposita ad satisfaciendum nobis ac universitati nostrae pro inobedientia et excessibus per eos commissis sufficienter commonuimus cum dilucidis temporum intervallis, ipsi nihilominus satisfacere (ut tenebantur) hactenus neglexerunt et contumaciter recusaverunt, Ideoque eosdem .N. et .N. ac eorum quemlibet de et ex commissione ac decreto totius nostrae universitatis ad tres annos [27a] proxime futuros a gremio eiusdem nostrae universitatis relegandos denunciamus praesentibusque publice a dicta nostra universitate relegamus, Mandantes eisdem et eorum cuilibet, ut infra tres dies proxime sequentes et a datis praesentibus computandos sese ab oppido praesenti amoveant et indilate protunc recedant. Sub poena exclusionis. Mandamus insuper omnibus et singulis saepefatae nostrae universitatis suppositis, ne cum dictis .N. et .N. relegatis in actibus scholasticis tam publicis quam privatis quomodolibet conversari praesumant. Sub poena unius sexagenae novae, universitati etc.

64. MANDATUM DE STANTIA ET HONESTATE HABITUS.

De et ex speciali commissione illustris principis et domini, domini Georgii etc. huius almae universitatis studii Lipczensis fundatoris ac conservatoris magnificentissimi, necnon reverendi in Christo patris et domini, domini Tilonis etc., eiusdem universitatis cancellarii unici et dignissimi, .N. de .N. etc. Rector, Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis extra collegia locaque approbata stantibus, morantibus aut comedentibus, Quatenus infra hinc et diem Sancti .N. proxime venturum ad collegia et bursas approbatas, ibidem [27b] stando, morando, comedendo ac alia iura bursalium faciendo sese recipiant. Sub poena unius sexagenae novae, universitati irremissibiliter persolvendae tociens, quotiens post praescriptum tempus extra huiusmodi loca appro-

bata ultra mensem stare, morari aut comedere praesumpserint. Insuper vigore praememoratae ducalis ac episcopalis commissionis Mandat omnibus et singulis antedictae universitatis studentibus, Quatenus nullus ipsorum deinceps in habitu inhonesto ac indecenti
5 statuique suo minime congruenti, vestibus videlicet nimia brevitate notatis, collerio cancellato vel in dorsum nimis exciso, pectorali effeminato, pileo laicali, caputiolo brevi seu petiato, ocreis plicatis, hasucula, birreto caligisque diversa intersectione colorum formatis, aut quocunque alio illicito habitu, tam in plateis quam in collegiis
10 aut aliis quibuscunque publicis locis, incedere praesumat, poena sub praemissa. Datum etc.

65. MONITIO ALICUIUS SUPPOSITI PEREMPTORIE CITATI ET CONTUMACIS.

Nos .N. Rector, quia aliquis .N., nostrae universitatis suppositum, ad expurgandum se de homicidio, nuper in personam quondam discreti .N. commisso, de quo vehementer habetur suspectus,
15 prout a fidedignis nobis denunciatus [28ª] extat, aut ad allegandum causas rationabiles, si quas haberet, cur ad praemissa non teneretur, in certum terminum, tunc futurum iam vero dudum effluxum, sufficienter et canonice citavimus: qui quidem in termino citationis huiusmodi comparere coram nobis contumaciter neglexit:
20 Quare eundem .N. ex superabundanti requirimus et monemus, ut adhuc infra novem dies post executionem praesentium proxime futuros, quorum quidem novem dierum ei tres pro primo, tres pro 2°, reliquos vero ultimos tres pro peremptorio assignamus termino, coram nobis et assessoribus nostris in loco nostrae soli-
25 tae residentiae legitime compareat, sese de praetacto homicidio expurgaturus vel causas contra praemissa allegaturus. Alioquin dicto monitionis termino effluxo ad eius exclusionem etc.

66. MANDATUM, NE ALIQUIS HASTILUDIA EXERCENTES VEL CIRCA PANCRATIUM PUGNANTES IMPEDIAT.

Quia nobilium conventus, camporum pugnam die Lunae proxima sequentibusque diebus iuxta pancratium in foro constructum
30 publice demonstraturus lusurusque, diversis armis et defendiculis inter pugnandum ludendumque utetur, quibus incauti spectatores

huiusmodi pancratio appropinquantes aut etiam ipsis [28b] pugilibus facile (sicut verisimiliter timendum est) laedi poterunt et offendi, Eapropter .N. etc. Rector, Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis, Quatenus nullum ipsorum praescriptis diebus praefatum pancratium ludi huiusmodi spectandi causa 5 ingredi vel ipsi nimis appropinquare sicque pugilibus ipsis impedimento esse aut sese ibidem periculis exponere vel aliquem ex ipsis ludentibus verbo vel facto molestare seu offendere praesumat. Sub unius floreni poena, universitati irremissibiliter persolvenda, necnon incarcerationis, per circulatores ad hoc deputatos fideliter 10 exequenda. Datum Rectoratus etc.

67. MANDATUM DECANI PRO INTRANDO DILIGENTER DISPUTATIONES ORDINARIAM ET SEROTINAM, LATINITATEQUE OBSERVANDA.

Ex quo facultas artium de profectu ac fructuoso studio, salubri denique statu quoad actus exercitationesque scholasticas suis membris et scholaribus vigilanti cura et sollicitudine providere debet et tenetur, Et cum disputationes ordinariae tam magistrorum 15 quam baccalariorum et signanter disputationes [29a] serotinae necnon latinitatis, qua usus facile ac prompte eloquendi acquiritur, frequens observantia inter alios huiusmodi scholastici gymnasii actus utiliores ac fructuosiores esse dinoscantur, Ideoque ex commissione et decreto Magistrorum totius facultatis antedictae 20 Mandat decanus eiusdem omnibus et singulis suppositis pro gradu vel Magisterii vel Baccalariatus in artibus complentibus aut in eisdem vel altero eorum promoveri cupientibus, Quatenus disputationes ac exercitationes supradictas continuatis vicibus diligenter visitent, in eisdem a primo usque ad finem permanendo, ibidem- 25 que sese opponendo, respondendo, arguendo ac animadvertendo studiose exercitent atque proficiant, Latinitatem quoque tam in collegiis quam bursis inter loquendum continuo observare studeant. Sub poena impeditionis ac non promotionis tempore suo. Datum Decanatus sub sigillo, Anno etc. 30

[illegible]

[illegible]

[illegible] pietatis mota, salutique ani- [illegible] defunctorum fideliter intenta, quondam [illegible], quod singulis annis pro huiusmodi [illegible] in aliqua ecclesiarum huius oppidi cum di- [illegible], vigiliis videlicet et missis, sollemniter peragi debeat [illegible], [illegible] omnia et singula, tam graduata

quam non graduata, nationis eiusdem supposita, Quatenus hodie hora .n. in ecclesia Sancti .N. conveniant, vigiliis ibidem decantandis, et cras finito sermone apud Sanctum .N. missis inibi celebrandis sese personaliter offerendo praesentent, consimilium operum pietatis exhibitionem post humationem eorum gaudiosius 5 expectatura. Datum Rectoratus sub sigillo etc.

70. MANDATUM DECANI PRO SATISFACIENDO TAXATORIBUS PRO LECTIONIBUS ET EXERCITIIS. [30b]

Mandat Decanus facultatis artium omnibus et singulis suppositis lectionem seu lectiones hac mutatione audientibus, Quatenus hodie hora .n. ante stubam facultatis Collegii maioris conveniant ad satisfaciendum ipsis taxatoribus pro huiusmodi lectione vel le- 10 ctionibus et sese ad eandem vel easdem inscribi seu intitulari videndum. Sub poena non computationis illius lectionis aut illarum lectionum ista vice. Datum Decanatus sub sigillo, Anno etc.

71. MANDATUM DE NON EFFUNDENDA URINA AUT PROIICIENDIS PULVERIBUS DE DOMIBUS PAEDAGOGII.

Cum universis, tum magnatibus tum nobilibus, plebeis ast etiam communibus huius oppidi civibus, ius et servitus libere 15 eundi per Paedagogii curiam concessum fore dinoscatur, circa quam decentia pariter et honestas (ne alicui pertranseuntium horror, displicentia vel nausea incutiatur, seu etiam damnum inferatur) merito observanda censetur, Ideoque mandat omnibus et singulis suppositis Paedagogium immorantibus sive qualitercunque 20 ibidem existentibus, Quatenus nullum ipsorum deinceps ex quacunque pariete domus vel anterioris vel posterioris, diurno prae- [31a] cipue tempore, urinam vel aquam aut quamcunque aliam immundiciem effundat vel eiiciat, Neque ad cannalia domus novae quocunque tempore eadem fundere vel proiicere praesumat, Neque 25 etiam sub ianuae posterioris gradu locum urinando vel stercorizando defoedet, Sub poena .x. gr. tociens, quotiens quis contrarium facere praesumpserit, universitati irremissibiliter persolvendorum. Si vero aliquod suppositum urgente necessitate aquam seu urinam de praescriptis locis nocturno tempore effundere vo- 30

luerit, non aliter nisi spargendo eandem effundat, poena sub praemissa. Datum Rectoratus sub sigillo.

72. MANDATUM DE CLAMORIBUS NON SUSCITANDIS, ARMIS NON PORTANDIS ET INSOLENTIIS QUIBUSCUNQUE NON PERPETRANDIS.

Quia hactenus nocturnis temporibus per nonnulla praefatae universitatis supposita clamores horribiles, enormes exorbitantiae
5 ac alii intolerabiles excessus, ex quibus et praesentis oppidi cives et inquilini in suis rebus damna violentiasque perpessi sunt, acti perpetratique conspiciuntur, Eapropter, ut huiusmodi enormibus excessibus ac frivolis exorbitantiis in futurum rigorosius [31b] occurratur, Mandat .N. Rector omnibus et singulis universitatis eius-
10 dem suppositis districtius inhibendo, Quatenus nullum ipsorum deinceps clamores horribiles aut cantus insolitos in plateis aut collegiis suscitet aut arma deferat, seu civibus vel inquilinis huius oppidi vel quibuscunque aliis nec in rebus nec in personis damna vel iniurias inferat, aut alias quascunque insolentias excitet vel
15 quomodolibet perpetrare praesumat. Sub poena carentiae libertatum universitatis aut relegationis vel maiori per universitatem dictanda. Datum Rectoratus etc.

73. PROCESSUS ET FORMA CITATIONIS ALICUIUS STUDENTIS.

Nos .N. Rector Tenore praesentium publice ac peremptorie citamus .N. nostrae universitatis suppositum, Quatenus nona die
20 post executionem praesentium, quorum quidem novem dierum ei tres pro primo, tres pro 2°, reliquos vero et ultimos tres dies pro tertio et peremptorio termino ac canonica monitione praefigimus, coram nobis ac assessoribus nostris In loco nostrae solitae residentiae legitime compareat, sese de homicidio in persona quon-
25 dam [32a] discreti .N. commisso ac perpetrato, de quo multipliciter infamatus et a fidedignis denunciatus existit, expurgaturus aut causas rationabiles, si quas habuerit, cur ad praemissa non teneatur, allegaturus. Alioquin, si secus fecerit, dicto citationis termino elapso ad eius exclusionem, contumatia ipsius in aliquo
30 non obstante, procedemus. Datum Rectoratus etc.

74. QUANTUM TRES CIVITATES SUBSCRIPTAE SOLVERE COGANTUR UNIVERSITATI.

Weissenfels solvere tenetur annuatim universitati .xxxv. sexagenas novas, .xxxiii. gr. et .iii. obolos. Torgaw .xxi. sexagenas novas. [Am Rande von der Hand des Nachfolgers des Joh. Fabri: in nundinis Lipczens.] Mittweyd .xvii. sexagenas novas. [Am Rande: in termino Michaelis.] 5

[Am Rande: Capitaneus in Delitzsch .xv. florenos in termino circumcisionis.]

75. MODUS SCRIBENDI PRAETACTARUM CIVITATUM CONSULIBUS PRO CENSIBUS UNIVERSITATI PERSOLVENDIS.

Vnnsern fruntlichen grus zcuuor Ersame Weise bsundere gute frund Nachdem vch wolbewußt wie das Jr vns von wegen vnd [32b] an stadt vnnserer gnedigen hern vonn Sachsen .n. gute schock ꝛc. vff 10 Walpurgis ader Michaelis nehst vorschinen Jerlich auß zcuricht en vorpflicht seyt, Demnach begeren wir an vch fruntlich bittende, wöllet vns sulche vorberurte summen vortagter Zcinse Jnn kurcze geruglich schicken vnd entrichten, forder muhe vnd vnkoste zcuuormeiden, Jnn vorhoffenn, die billicheit hir Jnnen bedacht, werdet vns mit 15 entrichtung berurts geldes nicht lenger vorzciehen, sundern vch hir Jnnen, wie vormals, gutwillig befinden lassenn, Wollen wir vmb vch fruntlich beschuldenn. Gebenn vnnder vnnsers Rectorats Jngesigell, Freitags nach .N. Anno etc.

76. LITTERAE QUITANTIALES POST SOLUTIONEM CENSUUM DICTIS CIVITATIBUS DANDAE.

Wir Rector, Meister vnd Doctores der hoenschulen zcu Lipczk 20 Merseburgisch bischtums Bekennen mit disen vnnsern offen briefe vor Jdermenicklich vnd thun kunt, das vns der Erbar Radte der Stadt .N. .n. gute schock ꝛc. szo er vns von wegen [33a] vnd an stadt vnnser gnedigen hernn von Sachsen Jerlich vff .N. Zcu bezcalen pflichtig ist, vff heut dat. diß briefes gutlich bezcalt vnd 25 entricht hatt. Derhalben wir obbemeltem Radte vnd Stadt sulcher berürter Zcinse halben Jnn vnd mit krafft dises vnnsern offenbriefes

vff dißmal gentzlich quittirn vnd loß sagen. Zcu mehrerin glouben vnd vrkunde haben wir vnnsers Rectorats Ingesigell zcu ende diser vnnser Quitantien wissentlich drucken lassenn, Die geben ist rc.

77. FORMA APOSTOLORUM MAGISTRIS NICOLAO SCHREITER DE KOBURGK ET ANDREAE FRISNER DE WUNSIDEL A FACULTATE THEOLOGICA EXCLUSIS DATORUM.

Quia notorie contra statutum theologicae facultatis, quod ser-
5 vare iurastis, conviciando Magistris eiusdem facultatis in poenas dicti statuti incidistis, in vestra pertinacia misere (in iacturam animarum vestrarum et reatus periurii) permanendo, exclusionem perpetuam declaratam merito sustinetis: Ideo appellationi vestrae tamquam a [33b] correctione manifestae offensae et a statuto iu-
10 rato, cui nec iura deferunt, etiam nos minime duximus deferendum, cum vestra offensa adeo publica sit, quod nulla tergiversatione celari poterit. Haec vobis apostolorum loco assignamus Dei nomine in his scriptis.

78. FORMA APOSTOLORUM PRAEFATIS MAGISTRIS DATORUM, QUANDO A IUDICIBUS PER PRINCIPES DATIS FRIVOLE APPELLARUNT.

Cum sacrosancta romana ecclesia et sedes apostolica, quam
15 omnes iudices inferiores sequi tenentur, rite ac rationabiliter statuendo ordinaverit, Quatenus appellationibus frivolis non debeat deferri, eo quod a correctione, ne crimina impunita remaneant, non sit appellandum, immo iudex poenam incurrit, qui frivolae defert appellationi, Et cum huiusmodi praetensae appellationes
20 nuper per magistrum Nicolaum Schreiter de Koburgk et magistrum Andream Friszner de Wunsidel presbyteros interpositae sint evidenter frivolae, prout ex actis et acticatis, coniuncto recessu in oppido Fribergk inito et acceptato, apertissime constat, et per dictos magistros ea occasione, ut verisimiliter praesumitur et ad
25 oculum ac experientialiter [34a] apparet, ne ad correctionem tantorum criminum eis obiectorum procedatur, ad eas praetensas appellationes sit recursum, Ob id eisdem praetensis ac evidenter frivolis appellationibus, quibus iura non deferunt, nullatenus duximus deferendum neque deferimus, praenominatis magistris, tam

coniunctim quam divisim, praemissa facta sollemni protestatione salva haec pro apostolis dando.

79. LITTERAE TESTIMONIALES A FACULTATE ARTIUM MIHI IOHANNI FABRI DE WERDEA UNIVERSITATIS NOTARIO DATAE.

Coram universis et singulis, ad quos praesentes pervenerint litterae, Nos Gerhardus Bisental de Osterburgk, artium Magister, facultatis earundem artium almae universitatis studii Lipczensis 5 Merseburgensis diocesis Decanus, totaque communitas omnium et singulorum Magistrorum in dicta facultate actu regentium Tenore praesentium publice recognoscimus profitentes, honorabilem virum dominum Iohannem Fabri de Werdea artium Magistrum, nostrae facultatis membrum et collegam admodum dilectum, ante quatuor 10 annos proxime praeteritos officio Decanatus, ad quem per magistros, praelibatam [34b] facultatem artium protunc repraesentantes, non obstantibus quibusdam frivolis confictis ac penitus falsis exceptionibus per certos suos aemulos contra eum temere propositis et obiectis, rite ac canonice electus fuit, honorifice et digne fun- 15 ctum fuisse, Acta quoque et acticata sub officio sui Decanatus de assensu nedum octo seniorum, ad hoc iuxta statutum et consuetudinem dictae facultatis convocatorum, verum etiam iussu et voluntate totius facultatis pro honore, comodo ac utilitate iamdictae facultatis in librum, conclusorum communiter nuncupatum, iuxta 20 quoddam statutum iuratum, prout vere gesta et acta erant, fideliter inscripsisse, Dehinc quoque, quoniam huiusmodi inscriptionem certi magistri dictae universitatis impugnare nisi ac ausi fuerint, sub decanatu honorabilis viri domini magistri Wenceslai de Budweisz, medicinae Baccalarii, per magistros in saepedicta facultate 25 actu regentes concorditer conclusum fuisse: Quod, quia huiusmodi vera inscriptio de et ex mandato totius facultatis, praecedente etiam assensu octo seniorum, debite ac fideliter in librum conclusorum obsignata fuerit, deberet saepedictus magister Iohannes Fabri merito ac rationa[35a]biliter contra quoscunque impugnantes vel im- 30 pugnare praetendentes huiusmodi inscriptionem per praelibatam facultatem totis viribus defensari effectualiterque manuteneri, prout ex actis sub decanatu dicti domini magistri Wenceslai inscriptis

conspici poterit, Praememoratum denique magistrum Iohannem
Fabri de Werdea Anno domini Millesimo quadringentesimo octua-
gesimo nono ex mandato et commissione Decani facultatis prae-
libatae necnon concordi unanimique consensu omnium et singulo-
5 rum magistrorum saepedictae facultatis quasdam litteras respon-
sales in causa magistrorum Nicolai Schreiters de Koburg et An-
dreae Frisners de Wunsidel ad illustrissimos principes et dominos,
dominos Fridericum, sacrosancti Romani imperii archimarschalcum
Electorem, et dominum Iohannem, germanos, duces Saxoniae,
10 lantgravios Thuringiae et marchiones Misznae datas et transmissas,
iuxta dictamen et consilium dictorum Decani et magistrorum con-
silii facultatis artium concepisse ac manu propria fideliter con-
scripsisse. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem,
robur ac evidens testimonium Nos Decanus supradictus sigillum
15 Decanatus [35^{b}] nostri praesentibus testimonialibus litteris duximus
appendendum et appendimus. Datae Anno salutis christianae
Millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, die vero Iovis,
paenultima mensis Septembris.

60. LITTERAE TESTIMONIALES, QUOD QUIS PER TRIENNIUM CONTINUE IN STUDIO STETERIT IBIDEMQUE PHILOSOPHIAE ET MORUM CONVERSATIONI OPERAM IMPENDERIT.

Coram universis et singulis sanctae matris ecclesiae filiis,
20 praesentes litteras visuris lecturis vel audituris, Nos .N. etc. Rector
Tenore praesentium publice recognoscimus profitentes, validum .N.
praefatae nostrae universitatis suppositum et membrum esse ad-
modum gratum in eademque universitate nostra aliquamdiu bona-
rum artium disciplinis et signanter praeclarorum iurium exercita-
25 tionibus virtutumque ac bonorum morum actibus operam impen-
disse diligentem,
Ibidem quoque per triennium
et ultra studii ac in philosophia
exercitandi causa continue ste-
30 tisse, Magistris, Doctoribus, Li-
centiatis aliisque suis maioribus
ibidem degentibus honorem et

Am Rande von F. nachgetragen:
Insuper post tempora completio-
nis lectionum exercitiorum alio-
rumque actuum scholasticorum,
Baccalariatus et Magisterii in ar-
tibus gradus concernentium, iux-

reverentiam debitos exhibuisse, sicque moribus laudatissimis

ta nostrae universitatis praedictae ritum et consuetudinem, rigorosis examinibus consuetisque sollemnitatibus praehabitis, Eosdem gradus successive palam et sollemniter promotionis laurea adeptum fuisse, Tandemque post adeptum Magisterium in dicta universitate legendo disputando aliosque actus scholasticos diligenter exercendo per biennium et ultra continue stetisse, moribus denique laudatissimis etc.

vitae quoque meritis praestantibus plurimum commendabilem sese reddidisse, ut haud immerito in virtuosorum numero [36a] haberi computarive debeat. Quare praememoratum dominum .N., nostrae praelibatae universitatis membrum et alumnum dilectum, omnibus et singulis, ad quos praesentes nostrae pervenerint litterae fideliter recommendamus, quam sinceriter rogantes, Quatenus eidem domino .N. nostrae universitatis intuitu, suorumque meritorum contemplatione, favoris, benevolentiae, consilii, promotionis et auxilii beneficia in suis rebus, causis et negotiis, actis vel agendis, favorosius impertiri dignentur, Nos per hoc ad consimilia, immo longe maiora complacentiarum genera constringentes. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem, robur ac evidens testimonium Rectoratus nostri sigillum praesentibus duximus appendendum et appendimus. Datae etc.

81. LITTERAE TESTIMONIALES DE ET SUPER RECONCILIATIONE ALICUIUS EXCLUSI DANDAE.

Universis et singulis sanctae matris ecclesiae filiis etc. Nos .N. etc. Rector cum subscriptorum notitia sinceram in domino charitatem. Cum omnis aetas ab adolescentia ad malum apprime sit prona, quodam etiam pernitioso praecipitio irretiri videatur, aequum [36b] fore dinoscitur, ut adhibendae constringendaeque sint habenae, quibus effrenatorum truculenta rabies edometur:

si qui vero errorem eorum recognoverint, ut eisdem gratia plus
solito benigne impartiatur. Sane cum discretus .N. decurso trien-
nii spatio ob quendam enormem excessum et contumatiam, in
universitate nostra perpetratos, a consortio studentium atque sup-
5 positorum fuerit exclusus, Qui cum sese deliquisse cognosceret ad
eandem almam universitatem nostram confugit, vigilantissime pro
sui reconciliatione enitendo, Nos vero, crebris suis petitionibus
permoniti, instantiaque gravium virorum pro ipsius reincorpora-
tione laborantium inducti, die Martis, quae fuit dies 3^a (vel 4ta etc.)
10 Aprilis, inclitum coetum Magistrorum saepedictae universitatis no-
strae convocari fecimus, affectionem praefati .N. eisdem propo-
nendo: Qui, pensatis causae meritis, ob quam ab universitate nostra
asseritur exclusus, ipsi misericordiam impartientes, in et ad con-
sortium suppositorum nostrorum ipsum benigne reassumpserunt.
15 Ob id nobis humillime supplicat, ut sibi super huiusmodi recon-
ciliatione sua litteras sub sigillo nostri Rectoratus decernere di-
gnaremur. Nos itaque precibus eius (ut decuit) inclinati, prae-
sentibus nostris patentibus litteris recognoscimus, praefatum .N.
universitatis membrum benegratum collegioque congregationis no-
20 strae et suppositorum nostrorum consortio nuper [37^a] gratiose
fuisse reincorporatum. In cuius rei fidem, robur ac evidens testi-
monium praesentes nostras testimoniales litteras Rectoratus nostri
sigilli subappensione fecimus conmuniri. Datae Lipczk Anno etc.

82. LITTERAE TESTIMONIALES DE LAUDABILI MORUM CONVERSATIONE ET BACCALARIATUS IN ARTIBUS ADEPTIONE.

Universis etc. Nos .N. etc. Rector publice recognoscimus
25 harum serie litterarum, discretum ac dilectum nobis .N. de .N.
eiusdem nostrae universitatis membrum esse gratum ac beneme-
ritum, ipsumque in eadem universitate nostra (prout super hoc
sufficienti et idoneo, et signanter magistrorum, cum quibus con-
versatus est, testimonio informati) per triennium scholasticis disci-
30 plinis diligenter intendisse, Baccalariatumque in eisdem, praemisso
rigoroso examine, assecutum iuxtaque suae aetatis exigentiam de
honesta conversatione, diligentia studii atque morum comitate, erga
se ac alios habitudine laudabili multipliciter commendatum. Quare

cum deceat fidele perhibere veritati testimonium, omnes et singulos, ad quos nostrae pervenerint litterae, charitativis exhortamur affectibus, quatenus eidem .N., per nos sic, ut praemittitur, commendato, supradictae nostrae [37^b] universitatis intuitu benivolentiam beneficiorumque munimina suis profectibus comodosa sinceriter impendere velint et exhibere. Quod erga unumquemque consimilibus beneplacitis favorose recompensare cupimus. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem, robur ac evidens testimonium etc. ut supra.

83. FORMA GENERALIS ET COMMUNISSIMA COMPLETIONIS PRO GRADU BACCALARIATUS IN ARTIBUS.

Universis et singulis praesentium notitiam habituris Nos .N. de .N. artium Magister, facultatis earundem artium almae universitatis studii Lipczensis Merseburgensis diocesis Decanus, Tenore praesentium publice recognoscimus profitentes, discretum .N. de .N. in iamdicta universitate laudabiliter se rexisse, Magistris, Doctoribus ceterisque suppositis pro statu et qualitate suis decenter conversatum fuisse, lectiones et exercitia aliosque actus scholasticos, gradum Baccalariatus in artibus concernentes, diligenter audiendo complevisse. Quare eundem .N. merito duximus recommendandum, cum eo attentius rogantes, Quatenus unusquisque, ad quem praesentes devenerint, nostrae facultatis antedictae intuitu praememoratum .N. promotionibus, favoribus et consiliis dirigere suisque rebus, causis et negotiis, actis vel agendis, assistere dignetur, Nos per hoc ad consimilia beneplacita constringentes. In [38^a] cuius rei fidem ac efficacius testimonium antedictae nostrae facultatis sigillum praesentibus testimonialibus litteris duximus appendendum et appendimus. Datae Anno etc.

Si vero aliquis gradum Baccalariatus in artibus adeptus sit, addatur in praescripta forma ante verbum Quare etc. *haec clausula:*

Eundemque ad huiusmodi gradum baccalariatus in artibus rigoroso examine praemisso de unanimi consensu concordique iudicio magistrorum examinatorum tamquam idoneum et sufficientem admissum promotumque fuisse. Quare etc. ut supra.

84. ALIA FORMA SPECIALIOR LITTERARUM COMPLETIONIS PRO GRADU BACCALARIATUS IN ARTIBUS.

Universis et singulis sanctae matris ecclesiae filiis, praesentes litteras visuris lecturis vel audituris, Nos .N. de .N. artium Magister, facultatis earundem artium almae universitatis studii Lipczensis Merseburgensis diocesis Decanus ceterique Magistri in dicta facultate actu regentes cum subscriptorum notitia sinceram in domino charitatem. Sane cum discretus .N. de .N. in praefata universitate aliquamdiu bonarum artium disciplinis operam impenderit diligentem et lectiones ac exercitia omnesque [38b] alios et singulos actus gradum Baccalariatus in artibus concernentes secundum nostrae facultatis statuta et consuetudines diligenter (uti fidedigno accepimus testimonio) compleverit,

Si est promotus addatur haec clausula: Antedictum quoque gradum Baccalariatus in artibus praemisso rigoroso examine, in quo idoneus et sufficiens compertus est, digne adeptus fuerit,

Vitae denique ac morum laudabili conversatione plurimum commendabilem sese reddiderit, Volentes praefati .N. labores scholasticos et vitae merita condignis non frustrari praemiis, eum ipsum omnibus et singulis, ad quos praesentes nostrae pervenerint litterae, duximus fideliter commendandum, sinceriter rogantes, Quatenus praememorato .N., nostrarum precum suorumque meritorum intuitu favoris, benivolentiae promotionis et consilii beneficia in suis rebus, causis et negotiis, actis vel agendis, favorosius impartiri dignentur, Nos per hoc ad consimilia, immo longe maiora, beneplacitorum genera constringentes. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem, robur ac evidens testimonium antedictae nostrae facultatis sigillum etc. ut prius.

85. ALIA FORMA LITTERARUM COMPLETIONIS PRO GRADU BACCALARIATUS IN ARTIBUS.

Universis etc. Nos .N. etc. cum subscriptorum notitia salutem feliciumque successuum [39a] incrementa. Etsi universi orthodoxae fidei cultores non modo naturali aequitate verum etiam divinae

legis praecepto fidele testimonium perhibere veritati sint astricti, Multo magis tamen congruit, ut itidem de hiis fiat, qui per vitae ipsorum spatia, laudabili morum conversatione comprobante, reproborum collegio minime meruerunt connumerari. Sane cum discretus .N. de .N. per aliquot temporum spatia in praefata universitate scholasticis disciplinis operam impenderit diligentem, lectiones et exercitia omnesque alios et singulos actus gradum Baccalariatus in artibus concernentes, secundum facultatis nostrae statuta et consuetudines diligenter (uti virorum fidedignorum accepimus testimonio) compleverit, decentique conversatione, moribus denique compositis secundum sui status exigentiam, commendabilem ac legalem sese plurimum exhibuerit, Quapropter praememoratum .N. nobis sinceriter dilectum universis et singulis personis, cuiuscunque status conditionis sive dignitatis extiterint, quibus hae nostrae testimoniales litterae exhibitae fuerint, sinceriter in domino commendamus, amicabiliter rogantes, Quatenus eidem .N. per nos (uti praemittitur) commendato, supradictae facultatis nostrae contemplatione, benivolentiae favoris promotionis et consilii beneficia in suis rebus, causis et negotiis, actis vel agendis, favorosius [39b] impartiri dignentur. Quod erga unamquamque ipsarum grata vicissitudine sedulo recompensare conabimur. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem, robur etc.

86. FORMA LITTERARUM COMPLETIONIS PRO BACCALARIO SACRAE THEOLOGIAE.

Universis et singulis praesentes visuris vel audituris Nos .N. sacrae theologiae professor ac Decanus ceterique Magistri facultatis eiusdem almae universitatis studii Lipczensis Merseburgensis diocesis salutem plurimam in omnium salvatore. Cum aequitas et rationis iudicium postulet ac requirat, ut, quos morum probitas vitaeque commendat honestas, eorundem benemerita laudabili declarentur testimonio, Eapropter recognoscimus publice profitentes, ostensorem praesentium, .N., videlicet insigniis magistralibus artium liberalium in famoso generali studio .N. mirifice decoratum, in nostro vero studio, suis benemeritis et scholasticis exercitamentis exigentibus, ad eandem facultatem honorifice receptum sicque no-

strae facultatis antedictae membrum benegratum et in eadem in Baccalarium promotum, in qua etiam per longa et legitima tempora strenue militaverat, lectionibus et exercitiis Magistrorum eiusdem facultatis diligenter insudando, nec non cursum suum
5 iuxta statuta saepedictae nostrae facultatis commendabili fine [40a] consumando. Quare eundem dominum Magistrum .N., sacrae theologiae Baccalarium, merito duximus unicuique sincerissime recommendandum, etiam atque etiam rogantes, Quatenus unusquisque, ad quem praesentes nostrae pervenerint litterae, ob nostrae facul-
10 tatis theologicae amplitudinem ac nostrarum precum intuitu praememoratum dominum .N. promotionibus, favoribus et consiliis dirigere suisque in agendis negotiis assistere dignetur. Quod erga unumquemque grata vicissitudine die noctuque recompensare studebimus. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem,
15 robur etc.

87. ALIA FORMA LITTERARUM PROMOTORIALIUM PRO BACCALARIO SACRAE THEOLOGIAE FORMATO, VOLENTE PROFICISCI AD TERRAM REMOTAM.

Universis et singulis sanctae matris ecclesiae filiis, et signanter universitatum sive studiorum privilegiatorum quorumcunque personis, Magistris Doctoribus Licentiatis et Baccalariis, ad quos praesens pervenerit scriptum, Magister .N. sacrae theologiae humilis
20 professor, facultatis theologicae almae universitatis studii Lipczensis Merseburgensis diocesis Decanus, totaque communitas facultatis eiusdem salutem successusque ad vota felices. Cum rationi consonet ac perutile sit et conveniens, viros quoslibet cuiuscunque conditionis et status, per diversa terrarum sive regnorum loca
25 aliquotiens ignota transituros, veritatis [40b] declaratione et fideli testimonio communiri, multo magis tamen congruit, ut viri scholastici, diversarum scientiarum professores, qui veritatem in omnibus diligenti rimantur indagine, in eaque alios instruunt et informant, nedum ut a malis hominibus iniustissime non opprimantur,
30 verum etiam ne contra eos quaecunque sinistra suspicio oriatur, veritatis testimonio defensentur. Quia igitur universi catholicae religionis cultores tam iure naturae quam divinae legis praecepto

sunt astricti, ut fidele testimonium perhibeant veritati, Nos cupientes, quantum nobis in hac parte incumbit, veritati testimonium perhibere, recognoscimus publice profitentes, Spectabilem et commendabilem dominum .N. artium Magistrum, praesentium ostensorem, praedictae universitatis Lipczensis, praecipue autem nostrae 5 theologicae facultatis esse membrum benemeritum, ipsumque tamquam eiusdem facultatis maximum amatorem nedum Doctorum facultatis illius lectionibus et disputationibus inibi aut respondendo aut arguendo pro sui ingenii exercitatione iuxta nostrae facultatis statuta et consuetudines auscultatione diligentissima affuisse, sed 10 etiam cursum in theologia pro sua completione, et demum post cursum omnes quatuor sententiarum libros a principio usque ad finem declarando et exponendo, prout dictae nostrae facultatis laudabilis obtinet consuetudo, exactissima legisse diligentia, insuper ea honestate morumque decentia apud nos semper [41ª] conver- 15 satum fuisse, ut nullam prorsus infamiae notam post se reliquerit, ut etiam anno proxime transacto in dictae almae universitatis Rectorem et eligi et electus praeesse et gubernare mereretur. Quare merito praememoratum .N. duximus unicuique recommendandum, quam sinceriter rogantes, Quatenus unusquisque, ad quem 20 praesentia nostra pervenerint scripta, praelibatum .N., nostrarum precum contemplatione, favoribus promotionibus consiliis et auxiliis prosequi, suisque in agendis negotiis assistere dignetur. Quod erga unumquemque grato vicissitudinis officio recompensare conabimur. In quorum omnium et singulorum praemissorum etc. 25

88. FORMA LITTERARUM COMPLETIONIS ET PROMOTIONIS PRO MAGISTRO IN ARTIBUS.

Universis et singulis, ad quos praesens pervenerit scriptum, Nos .N. de .N. artium Magister, facultatis earundem artium almae universitatis studii Lipczensis Merseburgensis diocesis Decanus, cum subscriptorum notitia salutem in vero omnium salvatore. Cum iuxta meritorum insignia laus et fama cuiuslibet non immerito sit 30 moderanda: indignum namque et a rationis tramite videretur omnino extraneum, ut is, qui per vitae suae curricula studiorum et virtutum fulcimentis insudaverit, eum, qui [41ᵇ] otiis torpendo

sibi ipsi inutilis extiterit, non deberet in attribuendis honoribus anteire: Sane cum venerabilis dominus .N. in praefata universitate longo tempore bonis artibus diligenti vacaverit studio, morumque laudabilium conversationibus prae aliis laude dignum sese exhibue-
5 rit, Volentes labores scholasticos vitaeque merita ipsius debitis non frustrari praemiis, eundem per rigorem debiti examinis, in quo reperiebatur idoneus, ad gradum magisterii in artibus unanimi consensu magistrorum examinatorum recepimus, quem gradum in praelibata universitate, consuetis sollemnitatibus adhibitis,
10 rite ac digne est adeptus. Quare praememoratum .N., nunc in artibus liberalibus Magistrum, filium ac alumnum nostrum dilectum, omnibus et singulis, quibus praesentes nostrae litterae exhibitae fuerint, fideliter recommendamus, sinceriter rogantes, quatenus ipsum favoribus promotionibus consiliis et auxiliis prosequi dignen-
15 tur, Nos per hoc ad consimilia, immo maiora, beneplacitorum genera constringentes. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem etc.

89. ALIA FORMA LITTERARUM COMPLETIONIS ET PROMOTIONIS PRO MAGISTRO IN ARTIBUS.

Universis et singulis, praesentes litteras visuris lecturis seu audituris, Nos .N. de .N. artium Magister, facultatis earundem
20 artium [42[a]] almae universitatis studii Lipsensis Merseburgensis diocesis Decanus, ceterique Magistri in iamdicta facultate actu regentes aeternam in domino salutem et praesentibus nostris litteris indubiam adhibere fidem. Cum naturalis ratio divinique ac humani iuris ordo requirat, ut illis non desint congrua testimonia, quibus
25 gestarum rerum ignorantia generare posset dispendium, hinc est quod, non solum forma referente sed et rei ipsius evidentia declarante, nobis certissime constat, honorabilem virum .N., in artibus Magistrum, fama vita moribus et scientia plurimum esse commendabilem. Volentes igitur, quantum nobis hac in parte incumbit,
30 fidele testimonium perhibere veritati, Tenore praesentium publice notum facimus tam praesentibus quam futuris, Quod praefatus Magister .N. Anno domini etc. die vero .n., rigorosis temptamine et examine secundum morem et consuetudinem antedictae nostrae

facultatis diligenter praehabitis licentiaque recepta, gradum Magisterii in artibus sollemniter rite ac legitime assecutus et adeptus est. Quapropter praememoratum .N., in artibus Magistrum, confratrem et amicum nostrum dilectum, omnibus et singulis, quibus praesentes nostrae litterae exhibitae aut praesentatae fuerint, fideliter recommendamus, attentius rogantes, Quatenus ipsum nostrarum precum ac dictae nostrae facultatis intuitu favoribus promotionibus et consiliis prosequi dignentur favorosis, Nos per hoc ad consimilia et facultatem nostram [42b] saepedictam ad maiora beneplacitorum genera constringentes. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem etc.

Der übrige Theil der Seite ist leer geblieben. [43a]

---

90. FORMA RECOGNITIONIS CHIROGRAPHALIS PRO CERTA PECUNIARUM SUMMA.

Nos .N. etc. Rector Tenore praesentium publice profitemur, quod scientificus .N. artium Baccalarius, nostrae universitatis antedictae membrum et suppositum, publice sponteque coram nobis recognovit, sese honorabili viro, domino .N., praeceptori suo colendo, pro expensis ac aliis accomodatis obligari .n. flor. in auro iuxta chirographi sui desuper dati continentiam, quorum quidem .n. florenorum medietatem ad festum Paschae, aliam vero restantem medietatem ad diem sancti Michaelis proxime futurum, et a datis praesentibus computandum, spopondit maturaque deliberatione et spontanea voluntate pollicitus est, praefato magistro .N. sollemniter stipulanti sine dilatione cum gratiarum actione benivole velle persolvere, nulloque privilegio auxilio vel beneficio utriusque iuris tam canonici quam civilis contra tenorem praesentium nostrarum litterarum gaudere, Nec per se aut per alium aliqua exceptione vel exemptione contravenire, sed huiusmodi suum promissum fideliter adimplere. Sub poena periurii aut a nostra universitate exclusionis. In cuius rei testimonium, ad peticionem utriusque partis praememoratae, nostri Rectoratus sigillum praesenti recognitioni nostrae subimpressimus. Datae Anno etc. [43b]

91. COPIA LITTERARUM CREDENTIALIUM AD EPISCOPUM.

Reverende in Christo pater ac domine gratiose. In emergentibus quibusdam arduis causis nostrae universitatis (vel facultatis) statum (seu incrementum) respicientibus honorabili viro .N., artium Magistro, aliquot articulos reverendae paternitati vestrae referendos commisimus, cui ad praesens tamquam in hiis ad plenum informato fidem adhiberi petimus creditivam, ac si nos omnes coram reverendae paternitati vestrae eosdem personaliter recenseremus, affectuosius rogantes, reverenda pat. v. nobis ac dictae nostrae universitati (vel facultati) de et super huiusmodi punctis (sive articulis) salubriter consulere dignetur. Quod erga eandem v. rev. p. paratissimis obsequiis deservire studebimus. Datae etc.

92. ALIA FORMA LITTERARUM CREDENTIALIUM.

Supplicibus recommendatione ac famulatibus iugiter praeviis, Reverende in Christo pater ac domine gratiose, mittimus commendabilem virum, Magistrum .N., causas certas satis arduas, universitati nostrae iamiam occurrentes, vestrae reverendae paternitati fideliter recensurum, Cui in recensendo [44a] huiusmodi causas tamquam nobis ipsis vestr. rev. p. aurem creditivam adhibere atque hac in re consilio et auxilio nobis assistere ac adesse dignetur, iterum atque iterum quibus decet precibus quam humillime supplicamus, pro quo eidem rev. p. vest. paratissimis obsequiis perpetuo aevo adstringemur. Datae etc.

93. COPIA VULGARIS LITTERARUM CREDENTIALIUM AD EPISCOPUM.

Ernwirdiger Inn gotuater, Vnser andechtigs gebethe gegen gote mit gantz gehorsamen willigen diensten sein uwer gnade alle zceit zuuoran demutigklich bereyt. Gnediger herre, Zcu uwer gnaden schickenn wir den Erhaftigen Magistren Johannem Fabri von Werd, vnnser hoenschulen gesworen Notarien, etliche vnnsere meynung (adir anligende sachen) ym gnüglich von vns empfolenn an uwer gnade Inn werbung zcu bringenn, Inn besunderm demutigem vleyß bittende, uwer gnade geruhe ym vff dißmal gleich vns selbs, vnd ap wir In eygenn personen sulche vnnsere maynung an uwer g. brechten,

glouben gebenn vnd yn mit nutzlichem Radte vnd gnediger antwort widder zcu vns [44b] vertigenn. Wollenn wir mit gantzbereytwilligen diensten vmb uwer g. allezceit gevlissenn sein demutigklich zcuuordienenn. Gebenn vnder vnnsers Rectorats Ingesigell, dinstags ꝛc. 5

94. COPIA LITTERARUM CREDENTIALIUM AD PRINCIPEM ALIQUEM.

Durchlauchter hohgeborner furst, Vnnser Innigs gebethe mit gantzbereytwilligen, vorpflichten dienstenn alle zceit benor. Gnediger herr, Zcu uwer furstlichen gnade schickenn wir dise gegenwertige uwer f. g. hoenschulen meister vnd doctorenn, etliche vnnsere anligende sachenn, yn von vns gnuglich empfolen, an uwer f. g. In 10 werbung zcubringenn, Mit demutigem hoem vleiß bittende, uwer f. g. geruhenn die selben vnnser geschichten gnedigklich hörenn vnd yne Ires anbrengens gentzlich gloubenn, Immassenn wir sulchs selbst vnd Inn eygnen personenn uwer f. g. anbrechtenn, Vnd sie mit gnedigen Radt vnd antwort widder zcu vns fertigen, Als wir 15 vns des vnd aller gnade, handthabens vnd beschirmunge, zcu uwer f. g. alle zceit vngezcweifelt vorhoffende, gentzlich vorsehenn. Wollen [45a] wir mit vnnserm andechtigen gebethe gegen gote vor uwer f. g. gesundheit vnd langleben vleissigklich vorbitten vnnd mit gantz gehorsamen vorpflichten dienstenn vmb dieselben uwer f. g. alle wege 20 demutigklich vordienenn. Gebenn ꝛc.

95. COPIA LITTERARUM PASSUS PRO DOCTORE VEL MAGISTRO.

Wir Rector Meister vnd Doctores der hoenschulen zcu Lipczk Merseburgisch bischtums Thun kunt allen vnd Itzlichen, die disenn vnnsern offen brief lesenn, sehen adir hörenn, das der wirdige .N., vnser hoenschulen merchlich gliedmas, seine gueter vnd geredte, so 25 er ein zceit bey vns gehabt, .N. fuhrman gen .N. zcu fierenn In zcweyen kasten, dreyen vessern vnd eynem ballen eingeslahen vnd gemacht, befolhen vnd vfgeladen hatt. Hiromb bitten wir alle vnd Itzliche voit hauptmanne gleitzman vnd andere amptlewte, wie sie genant sein, mit besunderm vleiße, sulch geschirr vnd geredte ane 30 hinderniß vnd vffschub zcoll- vnd gleitzfrey vorgunnen zcu fuerenn, sundere freyheit vnd priuilegia vns vnd den vnnsern von vnnsern

gnedigen herrn vonn [45b] Sachſenn Jnn Jrenn ſ. g. Landen vnd
gebietenn gegebenn, Auch dornebenn vor ougen gehalten gemeyne
vnd ſundere freyheit vns vnd allen geiſtlichen perſonen von bepſt-
licher vnd keiſerlicher gwalt zcugelaſſenn vnd vorlihen, Bitten auch
5 ſulch des gdachten .N. geſchirre vnd geredte Jnn wegen vnd ſtegen
zcu fürdern vnd ſicher zcu gleiten. Wollen wir vmb vch vnd einen
Jtzlichen Jnn ſunderheit mit beheglichem gefallenn vnd Jnn allem
gutem gerne beſchulden vnd irkennen. Des zcu mehrerer ſicherheit
vnd gezcewgniß haben wir vnnſers Rectorats Jnngeſigell zcu ende
10 diſes vnnſern offenbrieſes gedruckt, Der geben iſt ꝛc.

96. ALIA FORMA LITTERARUM PASSUS.

Allen vnd Jtzlichen, wellichs weſens ſtands vnd wirdickeit die
ſind, den diſer offen brieff vorkommet adir irzceigt wirt, Entbieten
wir Rector meiſter vnd Doctores der hoenſchulen zcu Lipczk,
Merſeburgiſch biſchtumbs, Vnnſere willige dienſte vnd fruntlichen
15 gruße Vnd thun kunt, Nachdem der Achtbar vnd hohgelorte .N. ꝛc.,
vnnſer hoenſchulen namhaftig gliedmas, willens iſt mit [46a] weſenn
von Lipczk gen .N. zcu zciehenn, Dodurch bitten wir vch alle vnd
Jtzliche, mit beſunderem vleiß begerende, vch gdachten .N. bevolhen
laſſen ſein, Jm gunſt furderung vnd guten willenn zcubeweiſen vnd
20 ſunderlich yn mit ſeinem gezcewge güetern vnd geredte durch uwer
lande ampt vnd gebüete zcols vnd gleytzfrey laſſen zciehen Reiten
vnd faren, Auch wo es die noturſt irfordert ym frey ſicher gleyt
zcuzcuſchickenn. Wollen wir vmb vch alle vnd einen Jtzlichen Jnn
ſunderheit willig ſein zcuvordienenn vnd fruntlich zcu beſchulden.
25 Zcu vrkunt vnd mehrerm glouben haben wir vnſers Rectorats
Jnngeſigell ꝛc.

97. COPIA LITTERARUM PASSUS, MIHI IOHANNI FABRI DE WERDEA DATARUM, QUANDO FUI MISSUS AD URBEM. 1491.

Nos .N. etc. Rector Universis et singulis, ad quos praesentes
nostrae pervenerint litterae, cuiuscunque dignitatis status gradus
ordinis praeeminentiae aut conditionis fuerint, salutem et sinceram
30 in domino charitatem. Cum honorabilem dominum Iohannem
Fabri de Werdea, artium Magistrum etc. praesentium exhibitorem,

in nonnullis nostris causis et negotiis ad sanctam sedem apostolicam in praesentiarum destinemus et transmittamus, Ideoque [46b] affectuose, quantum possumus, vos omnes et singulos rogamus et exhortamur, Quatenus eundem Magistrum Iohannem tam in eundo quam etiam in redeundo nostrae contemplationis intuitu 5 gratiose recipere et humaniter pertractare Sibique in adversitatibus et necessitatibus suis quibuscunque favorabiliter assistere necnon vestra dominia, terras, civitates, oppida, castra, villas, passus, portus, pontes, districtus, territoria et alia loca cum equis, rebus et bonis eiusdem sine pedagii, datii, passagii, theolonii, mutae, 10 gabellae aut cuiuscunque alterius oneris vel gravaminis exactione libere, secure et sine impedimento ire, stare et ad nos redire permittere, sibique, quotiens expedire videbitur, de salvo et securo conductu oportune providere velitis. In quo nobis complacentiam exhibebitis sigularem, condigną vicissitudine casu se offerente re- 15 compensandam. Datae Lipczk Rectoratus nostri sub sigillo etc.

98. COPIA LITTERARUM CHIROGRAPHALIUM.

Ego .N. de .N. Recognosco hac mea manu propria, me iusto et legitimo titulo obligari commendabili viro domino .N. artium magistro pro expensis et aliis accomodatis, ac signanter ad gradum Baccalariatus in artibus in prompto mutuatis, .n. floren. in auro, 20 [47a] quos polliceor me sine omni exceptione, dilatione, damno et expensis aut quacunque tergiversatione praefato Magistro aut alteri hoc chirographum meum offerenti super proximis nundinis paschalibus realiter et cum gratitudine persoluturum sub poena periurii et .x. flor. universitati praesenti sine contradictione per- 25 solvendorum. Quodsi in solutione praetactae summae negligens compertus fuero et praefatus Magister .N. per se vel per alium occasione meae negligentiae vel non solutionis aliquas expensas litteris aut nuntiis fecerit, obligo me huiusmodi expensas cum principali summa praetacta sine omni exceptione effectualiter so- 30 luturum. In quibus omnibus et singulis praemissis renuntio et resigno omni iuri et immunitati, privilegiis ac defensionibus, tam spiritualibus quam saecularibus, quas umquam habere vel impetrare possum et quibus aut de iure aut de facto contra haec

praescripta tueri valerem aut defendi, habeatque praememoratus Magister aut quicumque alius hoc chirographum meum offerens etiam sine speciali mandato eandem actionem in parentes vel heredes meos, quos omnes et singulos similiter volo tenore prae-
5 sentium secundum modum [47b] et formam praescriptos ad huiusmodi solutionem obligari atque constringi. In quorum fidem robur ac evidens testimonium praesens meum chirographum almae universitatis Lipczensis Rectoratus sigillo communiri humiliter petivi ac impetravi. Datae anno domini etc.

99. FORMA SIGNETI DE STANDO EXTRA LOCA APPROBATA.

10 Nos .N. etc. Rector Tenore praesentium publice indulgemus [am Rande: favemus], ut discretus .N. de .N., dictae nostrae universitatis membrum extra Collegia et bursas approbatas certis rationabilibus ex causis coram nobis propositis abhinc usque ad festum Sancti Georgii (vel Galli) proxime affuturum, et a datis
15 praesentibus computandum, libere stare sive morari valeat. In cuius rei fidem et testimonium nostri Rectoratus sigillum praesenti recognitioni subimpressimus. Datae anno domini etc.

Am Rande ist von späterer Hand auf das Copiale Magnum fol. 10 fac. a verwiesen, wo dieses Formular aus der Matrikel A''
20 abgeschrieben ist; daneben ist von derselben Hand das Datum Anno 1441. 18 Maii notirt. Vgl. Urkundliche Quellen zur Gesch. d. Univ. Leipzig, S. 541, Nr. 4.

100. FORMA SIGNETI DE CITANDO ALIQUEM VIGORE CONSERVATORII UNIVERSITATIS.

Nos .N. etc. Rector Tenore praesentium publice recognoscimus, profitentes, discretum (vel honorabilem) .N. dictae nostrae
25 universitatis suppositum et membrum esse admodum gratum, Cui in causa (vel causis), [48a] quam (vel quas) movere intendit contra et adversus .N. in oppido .N. morantem, praesens signetum decrevimus assignandum, ad aliam (seu alias) causam (vel causas) minime valiturum. In cuius rei fidem et testimonium nostri Recto-
30 ratus sigillum praesentibus subimpressimus. Datae anno domini etc.

101. COPIA SENTENTIAE, CONTRA ANDREAM FRISNER DE WUNSIDEL ADVERSARIUM DOMINI EPISCOPI MERSEBURGENSIS ET UNIVERSITATIS IN URBE PER AUDITORES ROTAE LATAE. ANNO 1495.

Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de dominorum coauditorum nostrorum consilio et assensu ferimus, in hiis scriptis pronuntiamus, decernimus et declaramus: In causa seu causis inter quendam Andream Friszner de Wun- 5 sidel, assertum clericum, actorem ex una Et reverendum patrem dominum Tilonem episcopum Merseburgensem, de et super praetensa incarceratione, sententiae canonis: *Si quis suadente* incursu, iniuriis, damnis et expensis rebusque aliis, in actis causae seu causarum huiusmodi expressis, et illorum occasione [48b] reum, 10 ex altera partibus, coram nobis in prima instantia vertentibus, Molestationem, perturbationem, vexationem et impedimenta, praefato domino Tiloni episcopo per dictum Andream actorem factas et praestitas, factaque et praestita, fuisse et esse temerarias illicitas iniquas indebitas et iniustas, temerariaque illicita iniqua indebita 15 et iniusta, ac de facto praesumptas et praesumpta, Dictoque Andreae adversario illas et illa facere minime licuisse neque licere, ac eidem Andreae super illis ac praetensa incarceratione, incursu censurae et iniuriis aliisque praetactis perpetuum silentium imponendum fore et imponimus, Ac eundem Tilonem episcopum ab 20 impetitione dicti Andreae absolvendum fore et absolvimus, Ipsumque actorem in expensas, in causa huiusmodi pro parte dicti domini Tilonis episcopi legitime factas, condemnandum fore et condemnamus. Quarum quidem expensarum taxationem nobis in posterum reservamus. 25

Ita pronunciavi Ego Guillelmus de Perreriis auditor.
Anno domini 1495. [49a]

102. FORMA MANDATI CONTRA BIRRETORUM AC ALIORUM HABITUUM INDECENTIUM DELATORES PER DOMINUM RECTOREM PROMULGATI.

Cum secundum iurisconsultorum sententiam is, qui illicitis insignibus aut vestibus suo statui minime congruentibus utitur,

crimen falsi (quod leges pro admissi qualitate gravissime puniendum censuerunt) committere non ambigatur, et birretum habitus sit non quidem scholarium verum potius Doctorum conditioni statuique congruens, Ideoque, ne scholares huius almae universitatis,
5 birreta suis statibus haud congruentia deferentes, poenam falsi et signanter poenam statuti, birretorum ac aliorum quorumlibet indecentium habituum delationem prohibentis, incidant, .N. de .N. Rector Mandat omnibus et singulis Baccalariis et studentibus universitatis eiusdem, Quatenus nullus ipsorum deinceps birretum seu
10 quemcunque alium indecentem habitum publice deferre praesumat. Sub poena .x. grossorum universitati tociens quotiens contrarium facere praesumpserit irremissibiliter persolvendorum. Datum etc.

103. Hiernach war dasselbe Mandat nochmals abgeschrieben, wörtlich übereinstimmend (nur daß statt iurisconsultorum geschrieben
15 ist iurisperitorum und der Schluß von praesumpserit an fehlt); Johannes Fabri strich daher die zweite Abschrift, Bl. 49^{b} oben, durch, und schrieb mit rother Tinte Bl. 49^{a} unten: *Sequens forma vacat et superfluit, cum in effectu sit eadem cum proxima praecedenti.*

104. CONTRA RECEPTANTES AUT SECUM DETINENTES PERSONAS RELEGATAS AUT PROSCRIPTAS.

Ex commissione illustris principis et domini etc. .N. Rector
20 Mandat omnibus et singulis universitatis eiusdem suppositis, districtius inhibendo, Quatenus nullum ipsorum [50^{a}] personam vel personas propter sua demerita et excessus ab hoc oppido vel aliunde proscriptam vel proscriptas, relegatam vel relegatas, seu eum vel eos, quem vel quos praefati domini principis indignatio-
25 nem incurrisse constiterit, cuiuscunque conditionis, sexus vel status fuerit aut fuerint, hospitio recipere, mensa fovere, conducere, associare aut in habitatione secum tenere vel eidem aut eisdem quomodolibet conversari praesumat. Sub poena .x. floren. aut exclusionis ab universitate. Datum etc.

105. INTIMATIO PRO AULA DOCTORANDORUM.

30 Cras in principio horae .n. .N. de .N. artium Magister, me-

dicinae Doctor, eiusdemque facultatis Decanus, tenebit aulam pro spectabilibus et praestantibus viris, domino .N. et domino .N., artium Magistris et Licentiatis in eadem medicinae facultate.

In ecclesia Sancti Nicolai.

106. PRO SALLARIO CONVENTORUM PAEDAGOGII.

Cum mercenarius iuxta evangelici sermonis oraculum dignus sit mercede, et is, qui laboribus [50[b]] deservitam mercedem detentans non solvit, in genus peccaminis gravissimi, quod die noctuque ad summum Deum (prout sacrae testantur litterae) clamitare asseritur, incidere haud dubitetur, Ideoque ne aliqui scholarium, praesens Paedagogium immorantium et ad iura bursalium inibi ratione stantiae astrictorum, praefati criminis rei comprobentur, Ne denique hii, qui laboribus scholasticis mercedem aliquam meruerunt, hac ipsa contra rationis et industriae dictamen vel frustrentur vel diutius quam aequum sit carere cogantur, Mandat .N. artium Magister etc. Rector omnibus et singulis suppositis, praesens Paedagogium immorantibus et ad iura bursalium inibi ratione stantiae astrictis, Quatenus dominis conventoribus eiusdem Paedagogii pro sallario suo, scholasticis laboribus deservito, infra tres dies a datis praesentibus computandos realiter et cum effectu satisfaciant. Sub poena quatuor grossorum etc. Datum etc.

107. COPIA LITTERARUM PROMOTORIALIUM BEDELLO UNIVERSITATIS, SANCTUM IACOBUM VISITARE VOLENTI, DATARUM.

Universis et singulis sanctae matris ecclesiae filiis, praesentes litteras lecturis visuris vel audituris, Nos .N. etc. Rector totaque [51[a]] communitas Magistrorum in dicta universitate actu regentium salutem et sinceram in domino charitatem. Cum inter viarum discrimina ambulantibus seu peregrinantibus saepenumero varii accidant casus, ut etiam boni propositi homines in itinere peregrinationis suae constituti a vilissimis interdum hominibus, quod graviter ferendum est, damna, iniurias, impedimenta et contumelias sine causa vel demeritis perferant et perferre cogantur, Ut ergo nos, inquantum nobis ratione officii nostri incumbit, in hac parte praesentium latorem .N., dictae nostrae universitatis bdellum

et famulum iuratum, conversatione honestum famaque commendabilem, qui votum suum, quod de visitando sancto Dei apostolo Iacobo in Compostella quondam, ut asseruit, fecerat, adimplere ac persolvere cupiens, iter iam arripere intendit, ab omni iniuria, inquietatione et molestatione defendamus defendendumque ab hiis, ad quos diverterit, promoveamus, Eum ipsum omni quo possumus recommendamus affectu, in domino requirentes ac sinceriter rogantes omnes et singulos, ad quos eundem .N. casu vel proposito devenire contigerit, Quatenus eidem benevolentiam, auxilium, promotionem, [51b] favorem et protectionem impendant aut impendi procurent, necnon elemosinam pro vitae necessariis habendis, si in hoc peregrinationis suae itinere eguerit, dictae nostrae universitatis intuitu elargiri dignentur, non permittentes ipsum in persona, rebus seu proposito suo sancto quovis modo damnificari, inquietari, impediri vel molestari, praemium pro hiis ab altissimo recepturi, qui nullum bonum irremuneratum nullumque malum impunitum dimittit et beneficiorum suis impensorum largissimus retributor existit, obligantes insuper nos ac dictam nostram universitatem ad consimilia, immo maiora complacentiarum genera. In quorum omnium et singulorum etc.

108. COPIA EXCLUSIONIS CUIUSDAM RELEGATI, QUI INFRA TEMPUS SUAE RELEGATIONIS REDIRE PRAESUMPSIT.

Nos .N. Rector. Cum quodam antedictae nostrae universitatis statuto caveatur et sit expressum, quod suppositum eiusdem universitatis, ob suos excessus et demerita ab eadem universitate ad certum tempus relegatum, infra huiusmodi tempus suae relegationis in praesenti oppido permanere vel ad idem redire praesumens, mox [52a] sine ulteriori citatione, convocatione ac monitione a praefata universitate tamquam membrum putridum praescindi debeat et excludi, et .N. de .N., dictae nostrae universitatis suppositum, nuper ob suos multiplices excessus rebellionem ac inobedientiam ad certum tempus relegatum, ad praesens oppidum infra tempus suae relegationis redire praesumpserit sicque contra praetactum statutum ausu temerario facere haud erubuerit, Ideoque iam dictum .N. a praefata nostra universitate tenore praesentium

publice praescindimus et tamquam membrum putridum excludimus, exclusum quoque per praesentia universis et singulis, praesens edictum nostrum visuris lecturis vel audituris, publice denunciamus, mandantes omnibus et singulis praelibatae nostrae universitatis suppositis, districtius inhibendo, Quatenus nullum ipsorum 5 cum praememorato .N. iamiam excluso in actibus scholasticis tam publicis quam privatis quomodolibet conversari aut eundem hospitio recipere vel mensa fovere praesumat. Sub poena trium florenorum, universitati irremissibiliter persolvendorum. Datum etc.

Anhang.

Actenstücke, die sogen. Leipziger Schusterfehde betreffend.

I. LITTERA DIFFIDATIONIS SUTORUM ADVERSUS UNIVERSITATEM LUPTZENSEM, ANNO 1471.

Wir noch gescrebin, Lorentz Stoyck, Steffan Stoyck, Peter 10 Stoyck, gebrudere, Peter Tyle, Mattis Smydt und Valentin Smyd, thun kunth allin und ichligen studenten der uniuersiteten Leipczk, welchs wesins sye sind, Es synt doctores, licenciaten, meyster adir baccularii, sye sind geistligin adir werlichin, junck adir alt, clein adir grosß, Das wir uwer synde wordin und synde sein wollin, umb 15 des willin, das uns eyner, gnanth der lange probist, In unsir libin frawin collegio wanende, und cleyn Nickel, in doctor Smidebergis bursin, und baccularius Schutz und eyner, gnanth Grossel, widir gote, ere und recht In der stad gerichte Liptzk mit Irer selbist gewalt und frevil obirhomud und darober glemut haben, und 20 wollen unß hirumb nicht wandels pflegin. Sulchs wandils wir obin gemelte unß an allin den, dye do studenten synt, Junck adir alt, irholin wollin, und wollin uns eins sulchin an uch allin tzu den

eren bewart habin. Gegeben vndir dissin Ingesigil, des wir nu tzu male gebruchin, Im LXXI Jare.

II. LITTERA PRINCIPUM CONTRA DIFFIDATORES SUTORES, ANNO 1471.

Von gots gnaden Ernst, kurfurste 2c., vnd Albrecht, gebruder, Hertzogen zcu Sachssen, Lantgraffin zcu Doringin vnd Marggraven zcu Missen,

Allen vnd iglichin vnsern Prelatin, Graffin, fryhen Herrn, Ritterschafften, Amptleuten, Steten, Merckten, Dorffscheffteu vnd andern vnderthanen, den disser vnser briff ertzeiget werdet, vnsir gunst, gnade vnd alles gut. Werdigen, wolgeborn, Edeln, gestrengen, Erbaren, Vesten, Ersamen, Liben, andechtigen vnd getruwen, Eß synt disse noch schriben Schusterknechte, mit namen Lorentz, Steffan, Peter Stoyck, gebrudere, Peter Tyle, Matthis Smyd vnd Valtin Smid, Allen vnd iglichen vnsir vniuersiteten zcu Liptzk Doctoribus, licenciatis, Meistern vnd baccalariis, sie sinth gestlich, werlich, Jung adir alt, vyhnde worden, sachin halben, dorvmb sie sich vor vnß, vnsern Amptleutin vnd an denn enden, do das billich gescheen were, ny beclagt, sunder solch vehde vß eigen gwalt gein den vnsern furgenomen haben, Das wir nicht dulden, sundir ernstlichen douor gedencken wollen. Hiromb begeren wir von vch allin vnd itzlichen bsundern mit ernstem vlisse, das ir zcu den obgnanten Schusterknechten, wu ir sie an kommen werdet, von stund gedencket, sie zcu gefenckniße nemet, vnd vestiglich dor Inne behaldet, so lange biß wir vnd dy vnsirn des rechten noch aller nottorfft an in erlanget haben, Des yn kein weyse anders haldet. Doran ertzeigt ir vns dencklich gefallen, vnd kompt vnß von vch allen vnde itzlichem bsundern uber ernste meynnunge wol zcu dangke. Gebenn zcu Dresdenn am mittwoch noch Estomichi Anno domini 2c. LXX primo.

III. CITATIO CONTRA DIFFIDATORES UNIVERSITATIS PRIVILEGIATAE, VIGORE KAROLINAE, ANNO 1471, 8 MARCII.

Iohannes Bestual [Westval], officialis curiae Merseburgensis, reverendique in Christo patris et domini, domini Thilonis, episcopi Merseburgensis, vicarius in spiritualibus ac commissarius generalis, iudex et executor almarum constitutionum, per divae

memoriae Fridericum 2^{m} et Karolum 4^{tum}, olym Romanorum imperatores, pro libertate ecclesiasticarum personarum editarum et per apostolicam sedem approbatarum, specialiter deputatus, prout in litteris desuper confectis, quarum tenorem propter earum prolixitatem hic inseri omisimus, plenius continetur et habetur, 5 haesitantibus tamen de iurisdictione nostra parati sumus fidem facere debite requisiti, Universis et singulis dominis plebanis ac divinorum rectoribus, curatis et non curatis, presbyteris, clericis, notariis et tabellionibus publicis quibuscunque per provinciam civitatis et dyocesis Magdeburgens., Halberstadens., Misznens., Mer- 10 szeburgens., Wratislaviens. et Numburgens., signanter in Hallis, Delitz, Illeburgk, Lypczk, Czycz, Numburgk, Hestete et Yslebe ac alias ubilibet constitutis, illique vel illis, ad quem vel ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint, salutem in domino et nostris huiusmodi, ymmo verius apostolicis ac imperialibus, firmiter 15 obedire mandatis: Sane licet divae memoriae Karolus quartus, Romanorum imperator, pie considerans quorundam perversorum iniquitatem, a quorum oculis Dei timor abcessit, pronuncciasset et decrevisset, quod quicunque, cuiuscunque status seu conditionis existeret, ausu sacrilego et propriae temeritatis audacia sacerdotem 20 vel clericum, secularem aut religiosum, diffidaret, proscriberet, captivaret, spoliaret et occideret, mutilaret aut in carcere detineret, vel buiusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaret seu eis favorem praestaret, praeter poenas, a sacris canonibus et legalibus sanctionibus in tales inflictas, corpore redderetur infamis et omni 25 honore privatus, et bonis suis fewdalibus, si quae ab ecclesia obtinere dinoscitur, privatus, prout haec et alia in constitutione, ab eodem Karolo imperatore in favorem cleri iuxta constitutionem felicis recordationis Martini papae quinti dudum edita, Karolina nuncupata, et in generalibus conciliis Constanciensi et Basi- 30 liensi accepta, plenius continetur, Hinc est, quod pro parte venerabilium et honorabilium Magistrorum Doctorum et scolarium almae universitatis studii Lypczensis nobis expositum fuit, qualiter quidam iniquitatis alumpni, Laurentius Stoyck, Stephanus Stoyck, Peter Stoyck, germani, Petrus Tile, Mathias 35 Smed et Valentin Smed, mechanici, contra canonicas et impe-

riales sanctiones, animis et intentionibus dictis dominis Magistris Doctoribus et scolaribus universitatis studii Lipczensis nocendi et generaliter iniuriandi, temerarie Dei et hominum timore postposito, sathanicis spiritibus instigantibus, ipsorum dominorum Magistro-
5 rum et Doctorum demeritis minime exigentibus, certas litteras diffidatoriales contra memoratos dominos Magistros Doctores et scolares almae universitatis studii Lypczensis scribi fecerunt et de post in scriptis collegiis in Lypczk affixerunt et affigi fecerunt ac ibi stare permiserunt. Ne igitur, quod ita patenter factum existit,
10 inultum transeat, una ex parte praefatorum dominorum magistrorum doctorum et scolarium, principalium, nobis humiliter supplicatum fuit, Quatenus ipsis in praemissis consulere et de remedio opportuno providere litterasque citatoriales contra et adversus praefatos Laurentium Stephanum Petrum Stoyck germanos, Pe-
15 trum Tile, Mathiam et Valentinum Smed oportunos decernere et concedere, ac ad litterarum apostolicarum ac imperialium executionem procedere dignaremur. Nos itaque, Iohannes, officialis et commissarius, iudex et executor praefatus, volentes mandata apostolica ac imperialia reverenter exequi, ut tenemur, Attendentes
20 petitionem, nobis, ut praefertur, factam, iustam fore et rationi consonam, quodque iusta petentibus non est denegandus assensus, litteras decrevimus infrascriptas:

Idcirco vobis omnibus et singulis supradictis et cuilibet vestrum in solidum in virtute sanctae obedientiae et sub suspensio-
25 nis et excommunicationis, quas, nisi feceritis quae vobis in hac parte committimus, in vos et vestrum quemlibet, trium tamen dierum canonica monitione praemissa, ferimus poenas, districte praecipiendo mandamus, Quatenus praedictos Laurentium Stoyck Stephanum Stoyck, Petrum Stoyck, Petrum Tyile, Mathiam Smed
30 et Valentinum Smed, principales, eorumque complices necnon consilium dantes, auxilium vel favorem praestantes citetis, quos et nos sic citamus, ut proxima die nona post executionem praesentium, iuridica si fuerit, sin autem, tunc die iuridica immediate sequente coram nobis mane hora terciarum compareant in ambitu
35 Merszeburgensi, ubi pro tribunali sederimus, per se vel eorum procuratores, Ad videndum et audiendum, se excommunicatio

maioris, anathematis imperialis necnon infamiae privationis honoris aliasque, in constitutionibus felicis recordationis Karoli quarti et Frederici secundi, Romanorum imperatorum, secundum tenorem Bullae piae recordationis Martini quinti ac canonicas alias ac legales contra tales diffidatores quomodolibet promulgatas, sententias 5 et poenas dampnabiliter incidisse, declarari declaratosque publice denunciari mandare, causam seu causas, si quam vel quas, cur praemissa fieri non debeant, habuerint rationabiles, allegantes; Cum intimatione, quod, sive comparuerint sive non, nichilominus, prout iustum fuerit et ordo rationis dictaverit, procedetur, ipsorum 10 citatorum absencia seu contumacia in aliquo non obstante, ac ipsos reos decetero ad quoscunque actus et terminos iudiciales gradatim et successive (usque ad declarationem praetactam) ac sententias alias quascunque (usque ad invocationem brachii saecularis et earum executionem inclusive) alibi praeterquam in portis maio- 15 ris Merszeburgensis ecclesiae, quotiens opus fuerit, non citabimus, Absolutionem vero omnium et singulorum, qui poenas et sententias supradictas quoquo modo incurrunt, ei vel eis, ad quem vel ad quos pertinet, reservantes, diem et formam ac modum vestrae executionis ac quomodo, qualiter et quando eam feceritis praesen- 20 tibus remissis, ac nuntium praesentem nostrum processum deferentem nullatenus prodentes, poenis suspensionis et excommunicationis sub praemissis. Datum et actum Lypczk in stubella mayore et inferiore propositurae monasterii sancti Thomae apostoli Lipczensis, sub anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, 25 indictione quarta, die vero Veneris, octava mensis Marcii, hora terciarum vel quasi, pontificatus sancti in Christo patris et domini nostri, domini Pauli divina providentia papae secundi, anno septimo, nostro sub sigillo praesentibus subimpresso, In fidem et evidens testimonium omnium et singulorum praemissorum prae- 30 sentibus ibidem honorabili et discreto viro Caspar Numan et Michaele Ticzman presbytero et clerico Merszeburgensis diocesis testibus ad praemissa vocatis rogatis debiteque requisitis.

Et ego, Hinricus Molhuszen, clericus Merszeburgensis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius, praefatique 35 domini officialis, iudicis et executoris scriba, quia omnibus

et singulis praemissis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, Ideoque praesens publicum instrumentum, manu alterius fideliter conscriptum, exinde confeci, subscripsi et in hanc publicam formam redegi, signoque nomine et cognomine meis solitis et consuetis una cum appensione sigilli memorati domini officialis, iudicis et executoris signavi rogatus et requisitus, In fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum.

Polonorum: Auscultata est praesens copia per me Andream Werneri de Gutstadt, clericum Warmiensis diocesis, sacra imperiali auctoritate notarium, et concordat cum originali de verbo ad verbum, quod protestor manu propria.

Bavarorum: Per me Philippum Lauring de Kunspergk, clericum Herbipolensis dyocesis, sacra imperiali auctoritate notarium, praesens auscultata est copia, deque verbo ad verbum cum originali concordat, quod manu protestor.

Saxonum: Auscultata est praesens copia per me, Hermannum Brandes, clericum Maguntinensis diocesis, publicum sacraque imperiali auctoritate notarium, Et concordat cum originali de verbo ad verbum, quod mea manu propria protestor.

Misznensium: Praesens copia auscultata est per me Mathiam Symonem de Pretin, clericum Misnensis dyocesis, sacra imperiali auctoritate notarium, Et concordat cum originali de verbo ad verbum, quod protestor manu propria.

Unten am Rande von anderer Hand, derselben, die die Ueberschriften und im eben Voraufgehenden die Namen der vier Nationen hinzufügte:

Executio huius processus facta est per me Iohannem Kempnitz, plebanum sancti Thomae apostoli in Lupczk, dominica qua cantatur in ecclesia dei 'Reminiscere', quod protestor manu mea propria.

Executum est praesens mandatum in ecclesia sancti Nicolai in Lupczk per me Laurentium Underfoyt, plebanum ibidem, dominica 'Reminiscere'.

Diligens executio huius processus et mandati facta est Hallis publice in ambone in ecclesia beatae Mariae virginis per plebanum ibidem. Quod protestatur manu propria. Usus est pro sigillo insign. [die folgenden Worte sind unleserlich] hic annectendo. Executio ut supra facta est dominica 'Laetare' 1471. 5

Ego Bartholomaeus, plebanus ecclesiae Sancti Petri in Yszleben, executus sum praesens mandatum dominica Palmarum.

Ego Hinricus Ottonis, plebanus Sancti Andreae in Yszleben, executus sum praesens mandatum dominica Palmarum.

Executum in Hestet dominica Palmarum per Sebaldum 10 Vischer, plebanum ibidem, non obstante, quod de ovibus meis non existunt.

IIII. DECLARATIO, ANNO 1471, 27 MARTII.

Der Eingang dieser Declaratio bis zu dem Worte permiserunt (212, 9) stimmt wörtlich überein mit dem Eingange der Citatio, nur hinter privatus (211, 26) ist noch eingeschoben (oder in der Abschrift 15 der Citatio versehentlich ausgelassen?): ac a consiliis nobilium excludendus nec ad eorum placita quomodolibet admittendus, si tantae dignitatis seu nobilitatis existeret, — nach permiserunt fährt die Declaratio so fort:

Nuper per certas nostras litteras citatoriales praefatos Lau- 20 rentium Stoyck, Stephanum Stoyck, Petrum Stoyck, fratres, Petrum Tile, Mathiam Smedt et Valentinum Smedt, principales, eorumque complices, consilium dantes, auxilium vel favorem praestantes, Quatenus in certo termino citationis competente peremptorio, tunc expresso nunc elapso, sub poenis, sententiis et censuris, contra 25 violatores et transgressores constitutionum earundem communiter promulgatis, coram nobis in ambitu ecclesiae Merseburgensis comparerent, se excommunicationis mayoris et anathematis imperialis necnon infamiae, privationis honoris, amissionis fewdi, si quod ab ecclesia obtinerent, aliasque canonicas et imperiales et in constitu- 30 tionibus felicis recordationis Karoli quarti et Friderici secundi, Romanorum imperatorum, iuxta tenorem bullae piae recordationis Martini papae quinti sententias, censuras et poenas contra tales promulgatas et contentas dampnabiliter incidisse, in scriptis per

nos declarari declaratosque denunciari mandari videre et audire, vel saltem causam vel causas, rationabilem vel rationabiles, quare praemissa minime fieri deberent, proponerent et allegarent, Cum certificatione, quod, sive comparuerint sive non, quod ad aliquem
5 actum praeterquam in valvis ecclesiae Merseburgensis citari non deberent, requisivimus et citavimus, requiri et citari fecimus diligenter. Adveniente vero termino citationis huiusmodi comparuit coram nobis in ambitu ecclesiae Merszeburgensis, nobis inibi ad iura reddend. et causas audiend. pro tribunali sedentibus, hono-
10 rabilis dominus Balthasar Messersmedtd, vicarius perpetuus ecclesiae Merszeburgensis, membrum dictae universitatis studii Lypczensis, sindicus et procurator substitutus dictorum venerabilium dominorum Magistrorum Doctorum et scolarium almae universitatis studii Lipczensis, prout de ipsius substitutionis man-
15 dato aput acta causae plenius constabat, nomine praedictorum dominorum principalium dictas litteras citatoriales debiteque ac legittime executas realiter et in scriptis exhibuit atque produxit, praefatorumque Laurentii Stoyck, Stephani Stoyck, Petri Stoyck, fratrum, Petri Tilen, Mathiae Smed et Valentini Smetd, principa-
20 lium, eorumque complicium, consilium auxilium dantium, favorem praestantium, citatorum, non comparentium, neque litteris nostris citatorialibus praedictis et in eis contentis paruisse vel saltim aliquas causas, quare in eisdem litteris descripta fieri minime deberent, allegare seu etiam proponere curantium, contumacias accusa-
25 vit, ipsosque contumaces reputari et in ipsorum contumaciam ac declarationem huiusmodi cum eis procedi petiit per nos et debita cum instantia postulavit. Nos tunc Iohannes, iudex et executor praefatus, volentes in negotio declarationis huiusmodi maturius procedere, ad ulteriorem praefati domini Balthasaris sindici et pro-
30 curatoris instantiam et petitionem, praefatos Laurentium Stoyck, Stephanum Stoyck, Petrum Stoyck, germanos, Petrum Tile, Mathiam Smedt et Valentinum Smedt, principales, eorumque complices, consilium dantes, auxilium vel favorem praestantes, ut praefertur citatos sed minime comparentes, reputavimus merito, prout erant,
35 dictante iustitia, contumaces, ipsosque deinceps eorumque procuratores, si qui forent pro eisdem, primo secundo simpliciter ac

